DE ALEXANDRO GEMMETICENSI,

cum Appendice de Bibliotheca Gemmeticensi manu scripta,

Thesim proponebat Facultati Parisiensi

JOSEPH LEBARQ, Licentiatus.

Typis Societatis Sancti Augustini,
DESCLÉE, DE BROUWER ET SOC.
INSULIS. — 1888.

DE ALEXANDRO GEMMETICENSI.

DE ALEXANDRO GEMMETICENSI,

cum Appendice de Bibliotheca Gemmeticensi manu scripta,

Thesim proponebat Facultati Parisiensi

JOSEPH LEBARQ, Licentiatus.

Typis Societatis Sancti Augustini,

DESCLÉE, DE BROUWER ET SOC.

INSULIS. — 1888.

PRÆFATIO.

IN *procemio libri, cui titulus :* Northmanniæ nova Chronica [1], *vir eruditissimus, Chéruel, hæc anno MDCCCL° scribebat : « Nonnulla notanda arbitror de* Alexandro *Gemmeticensi abbate, qui florebat ineunte XIII° seculo. Hujus abbatis nomen invenies quidem in doctissima* Literarum Gallicarum historia [2], *sed quasi obiter perstrictum. In Gemmeticensibus autem annalibus comperitur Alexandrum quasi splendidissimum istius ævi lumen veneratum fuisse. Quo anno monachi vestem induerit, quos libros intulerit cœnobio, quibus divitiis abbas factus Gemmeticense ærarium auxerit, in nostris Chronicis reperies. »*

Eum porro virum, tanti olim habitum, nunc prorsus deminutum et quasi ad nihilum redactum, suscipimus, ex variis præsertim, qui post tam multas clades exstant, Gemmeticensis bibliothecæ, nunc Rotomagensis, codicibus, augendum atque honestandum. In hoc enim suo præside illa Gemmeticensis familia, quæ inter alios eminebat religiosorum virorum cœtus, in Northmannia adeo frequentes, ut eam XI° seculo Guillelmus Pictaviensis alteram Thebaidem dixerit, felicissimam suæ historiæ nobis exhibebit ætatem, in qua literarum simul et virtutum studia viguerunt, neque ipso potuerunt

1. Cadomi, apud Harel (1850). — Illi Annales alio nomine dicuntur Chronicon triplex et unum, sunt enim ex tribus opusculis, non iis tamen integre desumptis, conflati : 1um Chronicon est Rotomagense ; 2um Chronicon sancti Laudi ; 3um Chronicon sanctæ Catharinæ, quod duobus aliis locupletius est. Quæ tria in unum fudit anonymus, anno 1546, alter transcripsit anno 1654, auspicante D° de Mareste. — (Inter Rotomagenses Codices, U 14.)

2. *Hist. littéraire de la France*, ad annum 1173.

obrui armorum tumultu, quæ circa eam, ut sæpe antea, ita his etiam strepuere temporibus, dum Angliæ et Galliæ reges de vicinis urbibus totaque provincia obtinenda decertabant. Licet autem minus effulsit Gemmeticensis quam Beccensis schola, cum illa theologorum præcipue fuerit virorum, nunquam tamen colendis literis abstinuit, neque ullo videtur acrius quam hoc seculo illis incubuisse.

Quod ut appareat, duo nobis præstanda sunt, nempe ut Alexandri et de vita et de scriptis in ordine disseramus; sicque hinc acceptum hominem cum Rotomagensibus Præsulibus, ipsique Pontifici maximo, tum Angliæ et Galliæ regibus, qui vicissim, dum vixit, Northmanniam in sua ditione habuerunt, hinc eruditum ingeniosumque scriptorem, nec theologum modo dialecticumve, sed etiam literatissimum veteris Academiæ Parisiensis alumnum, ex suis opusculis noscendum præbeamus.

Huic præterea nostræ disquisitioni apponetur quædam Appendix de ipsa manu scripta Bibliotheca Gemmeticensi, quæ ab Alexandro et ab ejus successoribus iisdemque discipulis non parvum accepit incrementum, et ad nos usque monumenta satis multa transmisit.

D. D. BILLARD

CARCASONENSI EPISCOPO,

EIDEMQUE ROTOMAGENSIS ECCLESIÆ

QUONDAM PRESBYTERO AC

VICARIO GENERALI,

D. D.

CAPUT PRIMUM.

Alexandri Gemmeticensis vita.

§ I. Alexander, Gemmeticensis *Monachus*.

APUD auctorem satis antiquum, Ermentarium, Gemmeticensem alumnun, qui sancti Filiberti vitam, octavo seculo scriptam, « auxit et expolivit seculo sequenti [1] », de loco ubi insurgebat Gemmeticense *cœnobium*, nunc autem grandes exstant ruinæ, hæc hisque similia legimus :

« Locum in pago Rotomagensi » obtinuit Filibertus, « vere digna etymologia nominis Gemeticum nuncupatum, qui diverso vernat decore, more gemmarum [2]. Hinc frondium coma silvestris, hinc multiplices arborum fruges ; illinc placet uberrima tellus, illinc virentia prata graminibus, hinc hortorum odoriferi flores, hinc vinearum abundant botryones, qui in turgentibus gemmis lucentes rutilant in falernis [3]... »

Nec omittit ille Sequanam, tria millia gyrantem, qui « non ictu pristino » cursum vergens, unum tantummodo commeantibus dabat ingressum ; neque æstum

1. Bollandus, *de vita Sti Filiberti*, ad diem XX augusti.

2. Audi Mabillonium (in eadem vita, Acta SS. Ord. Sti Benedicti, sec. II) : « Haud inepta etymologia, siquidem, teste Percevallio, Galli veteres materno idiomate efferebant *Geme* pro eo quod latine dicimus *gemmatus*. Unde qui latinæ linguæ rationem habebant antiqui scriptores, geminata litera *Gemmeticum ;* qui Gallicæ seu Romaniscæ, neglecta geminatione, *Gemeticum* pingebant. » Hæc ille. Nos quæ sit vera hujus nominis origo, prorsus ignoramus.

3. Viteo liquore uberem esse locum adhuc erant testimonia in seculis recentioribus. (Vid. E. Savalle. *Les derniers moines de Jumièges*, p. 18.— L'abbé Cochet : *Les anciens vignobles de la Normandie*, passim.— Ch. de Beaurepaire ; *De la vicomté de l'Eau*, p. 24 et 298.)

adscendentis maris adversus flumen, et deinde ad sinum suum, non sine magno aquarum impetu, redeuntis.

Ibi religiosam Benedictinorum vitam Alexander, anno 1171, professus est ([1]). Etsi unde ortum traxerit, quove natus sit anno nobis non est traditum, duo tamen sunt certa : eum, cum Gemmeticensi familiæ nomen dedit, doctoris laurea insignitum fuisse, ac dictum insuper a Petro Blesensi amicum et socium. De verbo autem referenda est quædam hujus Blesensis ad Alexandrum epistola, quippe ubi nonnihil de ante actis annis insinuetur :

« Carissimo socio et amico, Magistro Alexandro, priori de Gemetico, suus Petrus Blesensis, Bathoniensis archidiaconus, salutem in vero salutari.

« Promiseram vobis librum vestrum die sabbati, quæ jam præteriit, remittere ; quod non feci. Sed et Apostolus se in Hispaniam transiturum promiserat, suamque promissionem Domino disponente aliter, non implevit. (*Rom. XV.*) Credideram totum librum transcurrisse legendo infra diem præscriptum ; qui postea, legendi licentiam non habui per momentum. De vestra itaque dilectione confisus, librum adhuc retinere præsumo ; cumque alias accusabilem præsumptio faciat, hic excusabilem facit ipsa præsumptio. (*Dig.* l. XIII, tit. 6.) Nam et in jure civili, si quis equum sibi accommodatum ultra tempus et locum sibi destinatum duxerit, furti actione tenetur ; qui tamen, si de confidentia dilectionis hoc fecit, a furto et a mendacio excusatur.

« Bene valeat, et oret pro me amicus meus ([2]). »

Præter illam epistolam, quam transcripsimus, potest dubitari alterane, scilicet CXXXVII^a, ad eumdem

1. Vid. infra, p. 4 ; Cf. *Chronicon triplex et unum.*
2. Petri Blesensis, *Epist. XXXVII* (Migne, CCVII, 116).

missa sit. Bulæus quidem, in catalogo illustrium XIIi seculi academicorum (1), uni eidemque magistro Alexandro, cui nomen erat Alexander a Sto Albano, duas epistolas, LXXXVIam et CXXXVIIam datas esse contendit. Sed hoc non feliciter excogitasse videtur vir eruditissimus. Nam qui novicius, quamdam Religionem ingressus, ex divite pauper voluntarius, ex florente humillimus, multis a Blesensi laudibus cumulatur, alius sane est ac ille senex qui, apud Carthusianos professus egressum meditatur, et ideo acerrima reprehenditur objurgatione. Alterum ex his, novicium illum scilicet, libentius esse nostrum Alexandrum crediderim : in eo enim celebrantur et doctrinæ miracula, et spretæ divitiæ, et virtutis studium, et conversio, id est a profana vita secessus : quibus admodum similia de nostro prædicantur (2). Hoc tamen, quod menti arridet, non ausim asserere.

Quicquid id est, hunc Blesensem, qui circa annum MCCum in bona senectute obiit, natum post annum MCXXXum nemo potest suspicari. Alexander igitur,

---

1. *Hist. Academiæ Paris.*, p. II.

2. Cf. quæ apud Petrum Blesensem : « Honorem magisterii, laudemque hominum, et inanem hujus seculi lætitiam exspuisti ... Gloriosum donum Dei est, divitias et delicias hujus seculi abdicasse ... Totis medullis conversioni et conversationi vestræ congratulor... ; » hæc, inquam, confer cum iis quæ de Alexandro Gemmeticensi refert Anonymus Benedictinus seculi XVIIIi in libro cui titulus : *Histoire de l'Abbaye royale de Saint-Pierre de Jumièges.* Hujus operis, quod nuper in publicum prodiit (Rouen, Métérie, libraire de la *Société de l'histoire de Normandie*), in primo volumine legimus : « *Après avoir renoncé aux avantages que ses talents pouvaient lui faire espérer du siècle, pour se consacrer au service de Dieu, Alexandre ne pensa plus qu'à pratiquer les vertus...* » et paulo inferius : « *Continuer les leçons de philosophie et de théologie qu'on l'avait chargé de donner aux jeunes religieux dès les premières années de sa conversion.* » (p. 308, 309.)

socius et amicus ejus, qui annos tredecim illi superstes fuit, et ipse ad summam pervenit senectutem, natus esse circa vel ante annum MCXL existimandus est.

Parisiis uterque theologiæ magistrum habuit Petrum Manducatorem, seu Comestorem (librorum scilicet, ut aiunt). Humanioribus autem literis num cum eodem Blesensi Alexander sub Joanne Sarisberiensi studuerit, dubium est, cum Sarisberiensis Parisiis discesserit anno MCLI.

Quantum vero studendo profecerit, satis declarabit æqualium existimatio, itemque scripta ab eo opera demonstrabunt. Hanc autem viri existimationem, quam ex Chronico triplici et Blesensis testimonio adumbravimus, jam e nondum edito codice, nunc Vaticano, olim Fontinellensi, eos Gemmeticenses Annales, qui etiam Rotomagi, ex Gemmeticensi bibliotheca oriundi, magna ex parte mutili, existunt, fere integros continente, hic manifestiorem faciamus :

« Eodem anno (1171), vigilia Assumptionis sancte Marie Virginis, *quidam doctor divinarum et secularium litterarum, nomine Alexander*, monachum induit Gemetico monasterio. Cujus libri scolares (1) quos monasterio contulit, hii sunt : Exodus (2), Leviticus, Ysaias (3), duodecim minores prophete (4), Psalterium (5), et in uno volumine Apocalipsis, Cantica Canticorum, Ecclesiastes (6), Epistola magistri Ade que

1. Cf. Normanniæ Nova chronica (Chronicon triplex), ad annum 1172. Sed de libris allatis hæc tantum habent: Exodus, Leviticus, Isaias cum ceteris.

2. Vid. in IIª Appendice, B 67. (Nunc inter Rotomagenses codices; A 419.)

3. B 70. (Nunc A 385.) — 4. B 72. (Nunc A 338.)

5. B 59 (?) — (Nunc A 236.)

6. Cf. B 28 (nunc A 249), qui certo allatus est ab Alexandro : at neque cum eo de quo mentionem hic faciunt Annales, optime congruit, ueque cum sequenti.

dicitur Phaletolum; et in alio volumine parabole Ecclesiastes, Cantica Canticorum, libellus de compoto, mappa mundi, liber Jesu Filii Sirac; Historie [1] magistri Petri Manducatoris, decani Trecensis; sentencie magistri Petri Lumbardi, Parisiacensis episcopi; item quatuor ewangelia in singulis codicibus, Matheus [2], Marcus, Lucas [3] et Johannes; Epistole Pauli Apostoli; Epistole canonice [4]; volumen unum quorumdam excerptionum seu florum, quod dicitur Bona Verba [5]. Unum ex quatuor ewangeliis secundum scolasticam glosaturam. Et in alio volumine textus ejusdem; liber Cronicorum; liber magistri Galterii [6] de historia Alexandri magni [7]; liber Claudii poete cum filosophia Hildeberti Turonensis archiepiscopi de anima. Item in uno volumine Ars catholice fidei edita a magistro Nicholao Ambianensi, Claudianus de substantia anime et expositio symboli Athanasii edita a magistro Symone Tornacensi [8], libellus theologicarum questionum, liber qui dicitur Speculum ecclesie de consuetudine Romane ecclesie et liber Guidonis de musica. Quedam vero opuscula ipse dictavit [9]. »

En igitur habemus librorum, quibus Gemmeticensis bibliotheca ab Alexandro ditata est, non semel deside-

1. E tribus Gemmeticensibus codicibus, G 17, G 18, G 33, qui hanc historiam continent, nullus certo indicio dignoscitur fuisse Alexandri. — Idem dicendum de libris Magistri Sententiarum.

2. B 76. (Nunc A 392.) — 3. B 77. (Nunc A 380.)

4. B 83 (?) (Nunc forsan A 534.)

5. C 60. (Nunc A 411.)

6. Galterii de Castelione Alexandreis. (Vid. G 41, Nunc O. 54.)

7. Quæ sequuntur, vid. et Cod. Rotomag. Y 15, olim Gemmeticensi G 23.

8. Hoc opus, nondum typis mandatum, habetur in Codice Rotomagensi I 62; sed volumen istud non videtur fuisse e numero Gemmeticensium.

9. Codex Vaticanus. Reg. 553, 2ª part. f. 8. — De hoc nondum edito codice Vid. Leop. Delisle: *Notice sur vingt manuscrits du Vatican.* — Quam nos hic primum proferimus paginam, hanc exscriptam habemus cura viri inclyti in literis et doctissimi, Duchesne, nostri quondam sodalis in schola quæ dicitur Carmelitarum, itemque in schola Sorbonica Altiorum studiorum.

ratum[1] indicem. Quorum nonnulli evanuerunt, nonnulli autem ad nostra tempora servati sunt, ut de singulis monuinus. Hoc enim constat ex inscriptione quæ alias in fronte, alias ad calcem codicum jam tunc exarata est, sic fere semper se habens :

« Hic est de libris quos magister Alexander contulit ecclesie Gemmeticensi. Qui eum celaverit vel furatus fuerit, anathema sit. Amen. »

E Vaticano, quod retulimus, testimonio nonnihil mutuatus videtur Anonymus Gemmeticensis, qui suæ Congregationis historiam a prima origine ad annum 1760 scripsit, fusius quidem quam luculentius. Cujus in libro, nuper tantum in publicum edito [2], ut de multis aliis, ita de nostro Alexandro interdum peccatum est. Hujus est generis, interpretatio tituli plurium, quos ille attulit, librorum : ut cum Epistola magistri Adæ [3], « quæ dicitur Phaletolum », cuidam volumini apposita, intelligitur de collectis Epistolis alterius Anglici auctoris, similis nomine ; vel cum Expositio Athanasiani

1. « Le manuscrit que D. Julien Bellaise avait examiné en 1687, et qui contenait plusieurs catalogues, *rédigés en 1210*, de différentes abbayes normandes : Savigny, le Mont-Saint-Michel, Caen, le Bec, Jumièges, etc., semble maintenant perdu. Il devait contenir entre autres la liste des livres de l'abbé Alexandre (1213) plus complète qu'elle ne nous est parvenue. » H. Omont, *Catalogue général des manuscrits des bibliothèques publiques de France*, I. (1886). — Introd., p. XX.

2. *Histoire de l'Abbaye royale de Saint-Pierre de Jumièges* (Rouen), Métérie, librairie de la *Société de l'Histoire de Normandie* (I, 1882; II, 1884; III, 1887). — De codicibus hujus Historiæ. Vid. *Catalogue général des manuscrits des bibliothèques publiques de France, Départements*, t. I, (H. Omont). — Apud Plon, 1886. — Introd. XXII, n. 4.

3. Adæ Parvipontani *(Adam du Petit-Pont)*. Hoc opusculum in publicum misit A. Scheler : *Lexicographie latine du XIIe et du XIIIe siècle.* Leipsick, 1867, p. 120 et seq.. — Doctus regis Belgarum bibliothecarius legit in Codice Brugensi : « *Phale totum* cillentibus radiis cum jam prospicuum, prospicerem » etc., quod est initium opusculi.

Symboli dicitur composita esse ab ipso sancto Athanasio, transcripta autem a Simone Tornacensi, proprio scilicet opusculi auctore ([1]).

Verum illa et his similia omittentes, hoc unum animadvertamus : plures ex supra dictorum librorum auctoribus Magistros, id est, *Theologiæ Facultatis*, ut gallice loquimur, *Doctores*, vocitari. Hoc enim sonat Epistola *magistri Adæ*, Historia *magistri Petri Manducatoris*, Sententiæ *magistri Petri Lombardi*, Liber (Alexandreis) *magistri Galterii* (de Castellione), Ars catholicæ fidei, edita a *magistro Nicolao Ambianensi*, Expositio Symboli edita a *magistro Simone Tornacensi*. Quibus nominibus quos designatos putabimus, nisi Alexandri vel condiscipulos vel præceptores ? Parisiacensis enim scholæ inter primos laureatos illi viri erant. Quod si addideris Petrum Blesensem, et *magistrum Stephanum*, postea Tornacensem dictum, cujus portentosas *Conjugationes Divinitatis in Nativitate Domini* ([2]), ipsius opusculis Alexandri annexas inveniemus, clarissimos cum præsides, tum consortes studiorum ejus habebis.

Cum autem e tam præstanti eruditorum delectu ipse non minimus existimaretur, posthabita, quæ effulgebat, sacrarum spe dignitatum, intra claustri ambitum divinæ rei vacare decrevit ([3]). Quibus itaque virtutibus

1. Pag. 306.

2. Opus a P. du Moulinet, in sua Stephani editione, præ fastidio neglectum. (Vid. Migne, CCXI, 304. — Cf. Bourgain, *la Chaire française au XII[e] siècle*, p. 257.)

3. « Après avoir renoncé aux avantages que ses talents pouvaient lui faire espérer du siècle, pour se consacrer au service de Dieu, Alexandre ne pensa plus qu'à pratiquer les vertus qu'il avait acquises dans les écoles où l'on avait formé sa jeunesse, et dont on lui donnait l'exemple à Jumièges. » — (*Hist. de Jumièges*, I, 308.)

in scholis puer juvenisque instructus erat, eas Gemmeticensi disciplina et exemplis suscepit augendas.

Colligitur autem ex ejusdem verbis Chronici Vaticani, quæ adlegavimus, illum aliunde quam e Gemmeticensi schola prima scientiarum rudimenta hausisse. Nam si inibi didicisset, num id tacuissent hujus loci Annales ? His sane verbis : *quidam doctor divinarum et secularium literarum*, externus homo videtur significari. Sed quæ non eum suis alumnis adnumeraverat, eo Gemmeticensis domus præstantissimo incola annos duo et quadraginta gloriata est (1171-1213).

Vix enim religionem ingressus est, cum illius effulsit eruditio. Neque ita multo post, fratrum suorum philosophiam theologiamque edocendorum provinciam accepit (1177) (1). Jam pro sua literatura designatus fuerat qui Rogerii primi, quem Gemmeticensi cœtui summa sanctimonia præsidentem hactenus viderat, vitam describeret (1176). Quod et fecit (2). Sed illud opusculum, cum jam ante ingentem in fine seculi proxime elapsi bibliothecarum cladem inveniri vix posse videretur, nunc ne vix quidem. Inde saltem exemplum, quod omnibus esset venerationi, habuerunt qui ab Alexandro recte et scite vivendi documenta percipiebant. Cui muneri etiam operam navavit, postquam *Prior*, postulante conventu, factus est (1180) (3).

1. *Hist. de Jumièges*, I, 299. — Cf. *ibid.*, 309.

2. *Ibid.*, 309. Cf. *Annales Gemmeticenses* (Cod. Vatic.) : « 1176. Obiit Rogerius, abbas Gemmeticensis pie memorie, XVII kl. septembris. Hic est Rogerius abbas sanctitate et morum honestate preclarus...Actus ejus descripsit Alexander monachus. » — Idem apud Rotomagum Y 15 (olim Gemmet., G 23), et in Chronico triplici.

3. *Hist. de Jumièges*, I, 309. Cf. 299.

§ II. Alexander, *Prior* Gemmeticensis (1).

QUANTUM omni tempore studia, præsertim sacrarum paginarum, apud Benedictinos viguerint, nemo est qui nesciat. Ut enim ait Dom. Garetus, Gemmeticensis alumnus, in sua Cassiodori editione, « *dum Prioribus et Decanis educandos pueros committeret sanctus Benedictus*, hos volebat sub iis præceptoribus, non pietatis modo, sed etiam scientiarum tirocinia ponere(2). » Similiter et sanctus Benedictus Anianensis, ille ordinis Benedictinorum insignis emendator, cum ad sinceram conditoris mentem illum reducere vellet, « dedit cor suum, ut refert Smaragdus ( ) ejus discipulus, *ad inquirendum qualiter fuerint Monachorum veterum mores ;* normamque utilem et Monasteriorum salubres consuetudines didicit, suisque eas tradidit monachis observandas, in cunctis nimirum cœnobiis Imperii Caroli Magni, quorum tanquam generalis Reformator fuit ab ipso constitutus : *instituit in eis Cantores, docuit Lectores, habuit Grammaticos ;* et scientiæ Scripturarum peritos, de quibus etiam quidam post fuerunt Episcopi, aggregavit ; *librorum multitudinem congregavit.* » Ii vere Benedictini mores, ea impensa studiis virtutique simul opera maxime sub fine XII[i] seculi vigebat.

Ac re quidem vera bibliothecas fuisse studiorum, quæ tunc colerentur, argumenta, cum Mabillonio

1. « Eo regente (Ricardo), Alexander qui sequitur probabiliter ille est qui tunc *magnus Alexander et Prior* nominatur. » — (*Bibl. Nat.*, Lat. 12.778, f. 189.)

2. Apud Migne, LXIX, 494.

3. Apud Mabillonium : *Traité des études monastiques*, I part., c. 9. — Addit ibidem ipse Mabillonius hanc itidem normam receptam illo ævo in ceteris Galliarum cœnobiis quod fusius in cap. XI° ostendit.

existimare nobis licet. Gemmetici igitur quæ et quanta Alexander monumenta ad manum habuerit, vestigemus.

Cum Benedictinorum exercitia *Horarum canonicarum* recitatione, lectione, manualibus operibus [1] continerentur, dieique pars non minima [2] legendis ab unoquoque libris insumenda esset, nunquam sine codicibus vivere potuit talis virorum cœtus. Nec ullo unquam tempore illis caruerant Gemmeticenses. Qui autem vetustiores erant, plerique periere. Nam anno 851, Northmanni, « apud Gemmeticum classem dirigentes, ut ait Matthæus Westmonasteriensis, cœnobium adurunt nongentorum monachorum [3] ». Loci quidem incolæ, dum fugientes pretiosissima quæque auferre conabantur, libros aliquot ex incendiis surripiendos curavere, quos secum, ad suum solatium, huc illuc asportaverunt. Unde Notkerus Balbulus, initio sui Libri Sequentiarum : [4] « Cum adhuc juvenculus essem, ait, et melodiæ longissimæ sæpius memoriæ commendatæ instabile corculum aufugerent, cœpi tacitus mecum volvere quonam modo eas potuerim colligare. Interim vero contigit ut presbyter quidam de Gemidia, nuper a Nordmannis vastata, veniret ad nos, Antiphonarium suum secum deferens, in quo aliqui versus ad Sequentias erant modulati, sed jam tunc nimium vitiati. Quorum ut visu delectatus, ita sum

1. Regula S. Benedicti, c. 48.

2. Quæ pars diei major dabatur hiberno et præsertim *quadragesimali* tempore ; nunquam vere duarum horarum spatio minor erat. (Vid. Reg. Sti Bened. c. 48.)

3. Vid. *Hist. de Jumièges*, I, 111, 114; Cf. etiam Willelmi Gemmeticensis *Histor. Northmannorum*, I. VI. (Migne, CXLIX, 784.)

4. Mi ne CXXI, 1003.

gustu amaricatus. Ad imitationem tamen eorumdem cœpi scribere... »

Cum autem duo tantum viri, iique admodum senes, Gemmeticenses ad ruinas reversi sint, quænam volumina ex his quæ flammis subtracta fuerant, illuc potuerunt referri ? Ut igitur tanta resarciretur jactura, postquam cura Willelmi ducis Gemmeticenses ædes sunt restitutæ (928), libris ut iterum ditarentur, diu laboratum est. Alii allati sunt a novis fratribus, alii a superioribus empti, multi intra claustra descripti ab antiquariis. Cujus generis fuerunt codices « auctoritate Annonis Abbatis ([1]), » id est circa annum 942, exscripti ; aut etiam sub Theodorico, qui ab anno 1014 ad 1028 sedit ([2]) : quale est quoddam Rituale, unde E. Martenius, *de Antiquis Ecclesiæ ritibus*, nonnulla, ut ex alio Gemmeticensi, mutuatus est ([3]).

E multis eodem XI° seculo exaratis voluminibus ([4]), alia sub Willelmo, qui Theodorico successit, alia sub Roberto Champart, inclyto viro, qui ex Gemmeticensi abbate Londoniensis (1045), ac postea Cantuariensis episcopus effectus est, ad lucem venerunt. Neque hic tacendum, illo curante, pulcherrimos ex Anglia libros Gemmeticum immissos esse. Nonnulli jam indidem venerant, cum Gemmeticensis domus possessiones in Anglia, seu *beneficia* haberet ; iique sunt omnium

1. *Hist. de Jumièges*, I, 136. Cf. Acta SS. Ord. Sti Benedicti. — Vid. p. 362, ubi Mabillonius Arthurum du Moustier refellit, negantem in sua *Neustria pia* Annonem Gemmeticensem abbatem fuisse. — (Vid. codicem G 11 olim inscriptum (Append. II), nunc Rotomagensem U 40.)
2. *Hist. de Jumièges*, I, 145, 154.
3. K 27 (vid. in Appendice II), et K 17. (Nunc Rotomagi Y 127 ; A 293.)
4. *Hist. de Jumièges*, I, 157. Cf. 374.

vetustissimi (1). Inter eos autem qui trans mare scripti fuerant eminet celebratissimum *Missale Anglo-Saxonicum* (2). Item paucis post annis, alius inclytus Gemmeticensis alumnus (3), Rainaldus nomine, qui Abbendonensem in Anglia conventum regendum acceperat (1084), valde egregium volumen obtulerat (4), cujus donationis actus sic se habet in capite ipsius libri :

« Rainaldus non proprii electione meriti, sed Dei gratia preveniente indignus Abbas Abbendonensis, hunc sancti Evangelii textum, sic auro argentoque ac gemmis ornatum, beate Dei Genitrici ac semper Virgini Marie, beatoque Petro Gemmeticensis cœnobii mittit ; cunctisque fratribus inibi Deo servientibus ad honorem Dei atque ejus Matris perpetualiter in eodem loco servandum. Et si quis eum inde aliqua fraude seu ingenio subripuerit, abstulerit vel rapuerit, Domini nostri ac ejus Apostoli beati Petri Apostolorum principis maledictioni subjaceat ; sitque in sempiternum anathema. »

Eorum denique omnium voluminum, quæ tempore Alexandri Gemmetici inveniebantur, summam facienti, occurrent centum et viginti, aut amplius, si aliqua nunc amissa, sed quorum mentionem legimus, adnumeres. Ex his undecim nono vel decimo seculo (5), quinqua-

1. Singulos in IIa Appendice, indicabimus.

2. Olim K 10; nunc Rotomagi Y 34.—Cf. Sauvage, *Note sur les [principaux] manuscrits Anglo-Saxons et les manuscrits de Jumièges conservés à la Bibliothèque municipale de Rouen.* — Le Havre, Lepelletier, 1883.

3. Qualis fuit etiam Athelelmus, ejus decessor.

4. Jam ante annum 1623, ut in ipso Codice A 21 (olim A 6), notatum est, ablata fuerant illa pretiosa ornamenta. Liber autem, licet illis spoliatus, e pulcherrimis est.

5. Vid. in Appendice : A 12, B 74, B 79, B 80, G 28, K 26, C 37, C 11, C 43, C 72, G 11.

ginta undecimo [1], duodecimo sexaginta a subtilissimis examinatoribus assignantur.

In his Gemmeticenses ad manum habebant textus sacræ scripturæ, plerumque commentariis instructos; varia SS. Patrum opera, Origenis [2] (latine, ut eorum qui sequuntur), Ephrem [3], Chrysostomi [4], Basilii [5], Cassiani [6], Ambrosii [7], Augustini [8], Hieronymi [9], Gregorii [10], Bedæ [11], Radberti [12], Cæsarii Arelatensis [13], Hilarii [14], Bernardi [15], Anselmi [16] et aliorum.

Adde, præter multorum Vitas Sanctorum [17], historica alia minime spernenda: qualia erant Josephi libri [18]; Eusebii, Hieronymi, Prosperi [19], Sigeberti, Roberti de Monte [20] chronica; Bedæ [21], Pauli Diaconi [22], Dudonis [23], Willelmi Gemmeticensis [24], Gaufredi Monemutensis [25], Henrici Huntendunensis [26], Nennii [27] (sub nomine Gildæ sapientis), Solini [28], itemque Turpini quæ ferebantur opuscula historica.

Aderant autem quædam etiam ad grammaticen [29] pertinentia. Omittamus quidem versificandi regulas in quodam codice (C 33) ab anonymo metrice expositas, quæ sic incipiunt:

---

1. Singulorum ætatem quam accuratissime notabimus in Appendice.
2. C 8, 9, 10. — 3. C 8; G 32. — 4. C 12. — 5. C 8, 72. — 6. C 52; G 21. — 7. C 13, 14, 15, 16, 17, 18, 19, 29, 33.
8. A 12; B 71, 74; C 4, 8, 20, 21, 22, 23, 24, 25, 26, 27, 28, 29, 30, 31, 32, 33; E 1; G 13, 21, 39.
9. B 74, C 1, 2, 3, 4, 5, 6, 7; G 23. — 10. C 8, 20, 35, 36, 37, 38, 40, 43.
11. A 12, B 74, 80; C 4; G 20. — 12. B 53. — 13. C 8. — 14. C 22.
15. B 83. — 16. C 19, 33, 54. — 17. G 1 etc..
18. G 15, 16, et aliud volumen sine n°. (Vid. ad calcem Indicis, Append. II.) — 19. G 23. — 20. Ibid. — 21. A 12; G 20. — 22. G 21.— 23. G 22. — 24. Ibid. — 25. G 20. — 26. Ibid. — 27. Ibid. — 28. G 31. — 29. G 28.

A ante b :

Regula splendescit qua sillaba longa patescit :
Ante B fit brevis A ; sunt quinque sed inde retracta :
Sc*a*bidus et t*a*bes et l*a*bi, str*a*boque, l*a*bes, etc...

Quanquam enim duodecimi seculi ceterum omne volumen esse putandum est, ea tamen pars scripta post Alexandri tempus esse videtur. At in illo volumine ([1]) alia, eaque satis multa, ad grammaticen pertinentia, conserta erant; quales sunt Prisciani de constructione libri duo (XVII, XVIII); item excerpta ex Sancti Isidori libris de Analogia, de Etymologia, de Figuris verborum et sententiarum ; ibidem habentur Boetii ([2]) de Topicis differentiis libri IV ; et sancti Anselmi de Grammatico Dialogus ([3]). In alio autem Codice occurrebat Anonymi tractatus de Grammatica([4]), cum Dialectica Alcuini ([5]), et Boetii commentario in librum Aristotelis de Interpretatione ([6]).

Ac ne *classicis* quidem, qui dicuntur, caruisse libris, quamquam Seneca ([7]) fere solus jam apparet, satis ostendent permulta, eaque exquisitissima, quæ in suis opusculis afferet Alexander ex Cicerone, Sallustio, poetisve, testimonia.

His itaque instructus, aliisque non paucis, quæ jam

1. C 33. — 2. C 33, (nunc A 376), f. 94.

3. F 66. — Istud quidem opusculum ad dialecticos spectat : « Quomodo Grammaticus sit substantia et qualitas » disquiritur. His verbis clauditur Dialogus : « ... Quoniam scis quantum nostris temporibus dialectici certent de questione a te proposita, nolo te sic iis que diximus inherere, ut ea pertinaciter teneas, si quis validioribus argumentis hec destruere et diversa voluerit astruere. Quod si contigerit, saltem ad exercitationem disputandi nobis hec profecisse non negabis. »

4. H 9, f. 169. — 5. F 154. — 6. F 1. — 7. H 4 (nunc I, 37).

non supersunt [1], literati viri, et philosophi, quin et theologi titulo præcepta tradere cœpit. Non inusitata quidem res erat, sed solito splendidior; jam enim præcedenti seculo, cura Theodorici [2], Willelmique [3], loci præsidum, alteriusque Theodorici [4], ac Willelmi [5] Gemmeticensis, *Priorum*, refulserat hæc schola, statim post restauratam Gemmeticensem mansionem. Qui enim inter sancti Benedicti discipulos ferventissimo urgebantur pietatis ardore, iidem persuasum habebant hoc sui muneris esse ut efformarentur inter suos eruditi doctrinæ, præsertim sacræ, præceptores. Neque hoc immerito: videtur enim sanctus Benedictus inter primarios fines sibi in Regula præfixisse sacrarum Literarum studium, arbitratus hujusmodi exercitium fontem esse atque sustentaculum totius christianæ pietatis [6]. Jam undecimo igitur seculo Gemmeticensis schola, quæ ab ipso domus primordio [7] claruerat, restituta resplendebat, externosque pueros et juvenes, seorsim tamen ab aliis, ut moris erat, qui

1. Sic et in Beccensi Bibliotheca seculo XII° habebantur Cæsar, Sallustius, Seneca, Plinius, Ovidius, Quintilianus, ac lugendus ille Ciceronis Hortensius. At quæ non expilata fuerant, seculis XVI° et XVII° Parisios missa sunt. Fere ubique in eorum locum successerunt libri prelo confecti. — (Cf. L. Delisle, *Le cabinet des manuscrits*, II, 44.) Cf. supra, p. 6, n. 1.

2. *Hist. de Jumièges*, I, 147. — 3. *Ibid.*, 157. — 4. 162, 173. — 5. 174.

6. « Il semble qu'une des premières vues que saint Benoît ait eue dans son Institution a été l'étude des Lettres saintes, estimant qu'un tel exercice était la source et l'entretien de la piété chrétienne. En quoi il ne fit que suivre et imiter les anciens moines d'Orient... » (Joly, *Traité des écoles*, ap. Mabillonium, *Traité des études monastiques*, I part., c. XI.)

7. « On peut même assurer, et je ne l'avance (ait Anonymus in *Historia Gemmet.*, I, 24) que sur le témoignage des auteurs qui nous ont donné l'état des lettres dans les Gaules au septième siècle, qu'il n'y avait guère que cette école et celle de Fontenelle en réputation dans toute la Neustrie. »

scientias haurirent, admittebat. Prima scilicet argumenta, deinde qui aptiores honestioresve erant, Grammaticam, Philosophiam, Theologiamve edocebantur. Alii sub *Priore*, a quo cunctarum regimen scholarum pendebat, singulis documentis magistri præerant; inter quos primas tenebant *Cantor* et *Sacrista*, quorum alter sæpe ipsius *Prioris* in docendo vice fungebatur, alter vero pueros informabat, qui sacerdotibus divinam rem facientibus assisterent, iis tradens « infantilibus ingeniis aptatas scientiarum lectiones et præcepta (1) ».

Ex dicendis capite sequenti de Alexandri scriptis patebit quantus fuerit cum magistri tum discipulorum profectus. Hic monuisse satis erit Gemmeticensem scholam fuisse, quamdiu cathedram tenuit, percelebrem (2).

Neque omnino prætermittendum, etsi omnibus notum est, sub nomine Grammatices poesim rhetoricamque olim contentas esse. Inter Benedictinos quidem, Cistercienses nihil admittebant quod metricis legibus coerceretur, ut Mabillonius observat in disquisitione de sancti Bernardi operibus (3). Gemmeticenses vero, Beccensesve et alii, non item. Nam inter opera sancti Anselmi carmen quoddam accensitum :

Quid deceat monachum, vel qualis debeat esse,

quod quidem Sancto Doctori tribui non posse D. Gerberon (4) fatetur, e Benedictina certe egressum officina

1. Cf. Constitutiones Congreg. S^ti^ Mauri, p. 227. — (Parisiis, 1770.)

2. « Il étendit même ses soins aux personnes du dehors, et Jumièges sous lui devint une école célèbre. » (*Hist. de Jumièges*, I, 309.)

3. Cf. Epistolam Nicolai Clarevallensis qui erat S^to^ Bernardo a secretis : « Nos nihil recipimus, quod metricis legibus continetur. » — Apud Mabillon (*Traité des études monastiques*, I, cap. IX).

4. Vid. apud Migne, CLVIII, 28.

existimare debemus. Imo illud reperimus in quodam volumine, Gemmetici ante mortem Alexandri descripto. Haud scio quo illud jure Fabricius *in Bibliotheca mediæ et infimæ latinitatis*, Alexandri Neckam, qui obiit anno 1215, esse contendat. Alii melius, Rogerii Beccensis ([1]). In nostro autem codice, ab ipso Dom. Gerberon adhibito in sua sancti Anselmi editione, inscribitur : *Claudianus* ad monachos ([2]).

Omissis porro quæ de studio bene male conditorum carminum apud Benedictinos docti disseruerunt, cum præsertim de *Rotulis mortuorum* ([3]) est tractatum, illud idem Gemmeticense volumen sumamus ideo in exemplum, quia tempore nostri Alexandri, « a fratre Thoma », anno 1210, « compilatum » est, ut in ipso codice legitur.

Præter Carmen « *De adhærentibus huic mundo* » : (f. 203).

Quam merito merent (mœrent) qui mundi rebus adherent, *etc.*,

vel aliud « *De contemptu mundi ad monachos :* » (f. 224).

Cartula nostra tibi portat, dilecte, salutes, *etc.* ;

---

1. Vid. *Catalogue général des manuscrits...* Départements, (T. I, Rouen), auctore H. Omont, n° 670. Cf. D. Gerberon, de S° Anselmo, ubi supra.

2. C 70, (nunc A 592). Hi versus, inter alios, testantur Deo dicatum esse auctorem :

« Nec vos, dilecti fratres, contemnite, si quid
Nostra pium, si quid nostra salubre monent ».

In Historia Gemmeticensi (I, 338), turpi mendo legitur : « *le poème de Jadin* (lege : Claudien) *sur l'état religieux* ».

3. Vid. L. Delisle, *Rouleaux des Morts*, du IX[e] au XV[e] siècle ; verbi gratia, p. 43 :

Ne prius absistas regiones currere totas,
Donec carminibus nobis redeas oneratus, *etc.*

(Cf. Ordericum, IV, 270.)

in toto fere volumine variis tractatibus de virtutibus vel de vitiis appositi leguntur non semper spernendi versus, undecunque desumpti. Cum, verbi gratia, soluto sermone ostenditur « livor alieni boni » suum punire auctorem, nam unde bonus proficit, inde invidus contabescit, metrica adnotatio hæc profertur, (f. 231) :

Justius invidia nichil est, quia protinus ipsa
Auctorem rodit excruciatque suum.

Sicubi de avaritia tractatur (f. 234), hæc habes :

Creverunt et opes et opum furiosa cupido,
Et cum possideant plurima, plura petunt.

Item alia hæc, quæ quidem paulo recentius addita videntur :

Dic mihi quid speres qui mundo totus inheres :
Tecum nulla feres, licet omnia solus haberes.

Itemque, jam in prima parte voluminis, cum in tractatu « Guillermi Pictaviensis de professione monastica », (f. 1-52), ageretur « de gubernatione monasterii » ;

Si naute certent, navem bene nemo gubernat ;
Si sint unanimes, ducitur absque metu (f. 39).

Similiter et in insequenti opusculo « De conflictu vitiorum atque virtutum », quod sancto Augustino tribuitur, ubi de invidia (f. 54, v°) :

Non aliud nisi se valet Ethna cremare :
Sic se, non alios, invidus igne coquit.

Ubi autem de detractione (f. 58) :

Si vis de socio minimam deponere labem,
Tu prius ex proprio lumine tolle trabem.

Denique, ut cetera taceam, cuidam paginæ in qua de mansuetudine tractatur (f. 57, v°), hæc adjuncta repe-

ries: «Nota diversos diversis modis instruendos esse» :

... Non uno doctrina modo se mentibus infert :
Hiis timor, hiis monitus, hiis adhibetur amor.
Quadrupedes adaquare nequis, dum percutis illos :
Non cogit cunctos virga studere rudes.

Multis quidem mendis satis ostendit libri scriptor, quos referebat, non a se conditos esse versus ([1]). At ibi quædam offertur, ut puto, moralium, qualia tempore Alexandri tradebantur, forma documentorum; quæ non philosophorum modo, theologorumve virorum aucto ritate fulciebantur, sed poetarum etiam effatis ornata proponebantur, quo ea facilius et acciperet ratio et memoria teneret.

Ac vero in ipsius Alexandri opusculis ([2]), non paucas e poetis depromptas, præsertim ex Horatio Juvenalique morales sententias inveniemus. Occurret insuper satis concinnus Tractatus de accentibus, ubi longas brevesve syllabas sedulo discerni necesse est, ad prosodiæ leges assignandas, quod sane poeseos minime expertem auctorem insinuat.

---

1. Sic : Adversis diversa valent medicamina *membris*,
Ut *variantur* morbi, sic variantur ea ;

Pro eo ut scriberet : medicamina *morbis*... Ut *variant* morbi, etc. Similiter :

Nobilis est animi *quicquid* virtute refulget :
Deneger est solus cui mala vita placet.

(Lege : Quisquis..., Degener.) Cf. Migne, CLVIII, 695.

2. Vid. C 60, passim. — Ibi (f. 20) hospes quidam ad calcem paginæ hoc subposuit distichon :

Larga domus, largus dominus, sunt omnia larga ;
Tamque decet largum larga domus dominum.

Quod certe factum, quod versuum existimator is cujus liber erat (erat autem Alexander), et qui domum regebat, habebatur.

§ III. Alexander, Gemmeticensis *Abbas.*

JAM dudum qui primas apud suos teneret dignus habebatur Alexander. Cum tamen, anno 1190, post Robertum de Argentiis, Rogerius Mansel electus esset, eoque post annum vita functo, Ricardus a Mara (nam non uno summi meriti viro Gemmetica terra gaudebat), ille, cujus tanta erat modestia (1) quanta præstantia, adeo non hoc ægre tulit, ut cum *Radulfo de Bavilla, œconomo, et Hugone de Yprevilla* (2), *sacrista*, ipse plurimum ad Ricardum adjuvandum insumpserit negotii (3). Cumque per ejus manus omnia gererentur, jam in illo successorem suum videbatur præses indicare. Itaque, vacante rursus sede, anno 1198, nullum jam alium quam Alexandrum, qui sibi præesset, Gemmeticenses voluere.

Gratum porro hoc fuit Ricardo, Angliæ regi, a quo adhuc Northmannia pendebat, itemque Walterio, Rotomagensi archiepiscopo, quibus ille acceptissimus erat; lætumque doctis viris, non in Northmannia solum, sed et in Francia et in Anglia degentibus, quorum amicitia fruebatur (4).

1. « Il fit voir dans toute sa conduite une humilité profonde... » (*Hist. de Jumièges*, I, 309.)

2. Alias de Wifrevilla, ut in Charta 272 : « Actum fuit hoc assensu et favore Dñi Ricardi de Mara tunc Gemmeticensis abbatis, et favore magistri Alexandri, tunc ejusdem ecclesie prioris, et Radulfi de Bavilla, tunc celerarii, et Huguonis de Wifrevilla tunc segretarii... »

3. « Raoul de Baville et Hugues d'Ypreville, qui furent tout le temps de son gouvernement, avec lui (Richard), et le docteur Alexandre, prieur de la maison, et professeur en théologie depuis 14 ans, les *âmes* de la communauté. (*Hist. de Jumièges*), ex codice nunc Paris., 4170 (français). — In edito autem perperam dictum est : « les *amis* de la communauté ». (I, p. 299.)

4. « Il était dans l'exercice des fonctions de prieur et de maître, considéré du roi d'Angleterre, estimé de l'archevêque de Rouen, respecté et consulté par tout ce qu'il y avait de savants en Normandie, en France,

Walterii, benedictione accepta, officio pro virili parte incubuit. Neque tunc ad Angliæ regem, ut eum salutaret, se continuo contulit : *Quadragesimalia* enim urgebant exercitia, quibus omnem cum universo cœtu navavit operam. Ipse vero rex, paucis post mensibus, Gemmeticum invisere cupiit. Quo XVII kl. Junii perrexit, anni 1198. Hunc Alexander, suis stipatus, ad ecclesiæ sancti Petri portam exceptum, quartam horæ partem allocutus est (1); ac deinde solennitates *Pentecostes*, quæ his adeo diebus agi incipiebant, coram eo peregit.

Mense autem Augusto ejusdem anni, haud levia Gemmeticensis domus, « ad petitionem Alexandri », ab eodem rege beneficia accepit (2).

Qua vero gratia apud Ricardum, Angliæ regem, eadem, regno Franciæ tandem reddita Northmannia (1204), post devictum ejus successorem Johannem, apud Francorum regem Philippum floruit. Is enim sapienter quæ religiosis viris ab Angliæ regibus concessa erant, confirmare non dubitavit (3). Utque vel ante deditionem Northmanniæ, ita etiam sæpius illa peracta, ejus beneficiis non semel auctum est ærarium Gemmeticense (4).

et en Angleterre, et aimé généralement de tous ses confrères, lorsqu'il fut élevé sur le siège abbatial, et béni le 15 de février de l'an 1198. » *Hist. de Jumièges*, I, 309. Cf. *Annal. Gemmet. Cod. Vatic. Reg.* 553.

1. *Hist. de Jumièges*, I, 319.

2. « Eodem quoque anno (1198) ad petitionem Alexandri abbatis dedit rex Ricardus, ecclesie Gemmeticensi mercatum apud Duclarum, et cartam fieri precepit. » (Col. Vatic. Reg. 553. Cf. *Chartularium Gemmeticense*, apud Rotomagensem *Præfecturam*, c. 291.)

3. Vid. *Catalogue des Actes de Philippe-Auguste* (L. Delisle), nos 827, 837, 839, 842, 843, 863, 886, etc.

4. Vid. *Chartularium Gemmeticense* (majus), c. 9, 15, 226, 243. — Cf. *Hist. de Jumièges*, I, 324. Cf. etiam *Chronicon triplex*, ad annum 1211 : « Eodem anno rex Francorum Philippus dedit monasterio Gemmeticensi

Ipsum regem Alexander adiit, ad Pontem-Arcæ (1), anno 1210; hocque oppidum, quod Gemmeticensium erat, regi mancipavit, alio accepto, cui nomen Contevilla; quam commutationem quondam ab Anglorum rege Ricardo propositam (1198), mox Johannes, frater ejus, repudiaverat.

Patronum apud regem Francorum habuerant Gemmeticenses Walterium (2), Rotomagensem archiepiscopum, qui anno 1207 vita defunctus est. Cui notissimum jam a multis annis Alexandrum fuisse, cum is tantum esset *Prior*, testis est ipsius Walterii charta, data mense maio, 1186: « Nos... tradentes eam [terram] Alexandro Priori, et Radulfo, Cantori Gemmeticensi, qui nomine Abbatis et Conventus ad hoc ad nos fuerant specialiter destinati (3). » Non mirum igitur, si Rotomagensis Præsul ad eum libentissime deversatus est; quod fecit anno 1205, mansitque Gemmetici dies fere quindecim. Unde antequam exiret, loci incolas ad pollicendas preces hortatus est; quas ii nec viventi nec mortuo omiserunt impertire.

Nec dispar fuit in Walterii successore benignitas (4). Robertus enim, sine mora, Gemmeticensem familiam invisens (1208), singulos fratres familiariter ad se

ad preces et petitionem Alexandri tunc abbatis, publicam stratam quæ ducit a Lendine per forestam Brotone usque ad capellam S[ti] Vedasti, 24 pedes in latitudine, et 27 et et 10 perticas in longitudine continentem. » Cf. *Catalogue des Actes de Philippe-Auguste*, n° 1291.

1. Le Pont-de-l'Arche. (Vid. *Chartularium*, c. 243. —Cf. Léop. Delisle, *Catalogue des Actes de Philippe-Auguste*, n[os] 1261, 1262. Cf. *Hist. de Jumièges*, I, 320, 331.

2. Gautier le Magnifique (1184-1207.) « Versant des larmes sur la perte d'un protecteur auprès de Philippe-Auguste ». *Hist. de Jumièges*, I, 324.

3. Vid. *Chartularium*, c. 8.

4. Robert Poulain, Cf. *Hist. de Jumièges*, I, 327.

admisit ; imo cum ei nimis exiguæ visæ fuissent ædes, eas cupivit amplificare. Hoc quidem et Alexandro arridebat ; qui tamen impensarum magnitudine prohibebatur. At tandem, juvante Rotomagensi Præsule, Gemmeticensis domus non parum, sub Alexandro, accepit incrementi (1). Item a summo Pontifice Innocentio III privilegiorum confirmationem accepisse legimus (2).

Verum cum minime quidem in animo habeamus per singula recensere quæ et quanta suis commoda cautus paterfamilias providerit, permultas omittimus pactiones ab eo effectas, de quibus satis erit dixisse earum testimonia numerum centum et triginta excedere ; chartasque, quas ille ratas habuit, quartam libri partem, ubi cum ceteris inscriptæ sunt, obtinuisse (3).

Iis autem, quæ erogabantur viris Deo dicatis, largitionibus, multiformia pericula poterant procreari. Ac quamvis nondum in luxuriosam affluentiam excreverant, jam tamen non nihil attulerant perturbationis ; cum præsertim donorum auctores, aut eorum cognati affinesve enormia quædam sibi jura arrogarent. Cujus generis fuit ut, in claustra festis diebus irruentes,

1. « L'archevêque promit d'y contribuer, et l'abbé ne pensa plus qu'à concerter avec lui les mesures qu'il avait à prendre pour augmenter le dortoir ou en construire un nouveau. Robert se détermina pour le dernier projet ; mais l'année suivante, il proposa de faire des infirmeries et une chapelle pour les malades. Ce qui fut approuvé et exécuté. » *Hist. de Jumièges*, I, 327.

2. *Hist. de Jumièges*, I, 332. Vid. etiam *Acta Innocentii III*, apud Theiner, 50, n. 101.

3. Quæ in hoc genere præcipua visa sunt, ea commemoravit anonymus Gemmeticensis in sua *Historia*, I, 320 et seq.— Sub ipso confectum esse *Chartularium* ait Houel. (*Annales des Cauchois*, III, 14.)

magna cum ambitione, hospitium sibi et suis, ipsisque equis, imperando potius quam flagitando exposcerent.

Quam malæ consuetudinis corruptelam Alexander emendare sibi proposuit; idque, aliis inter benefactores assentientibus, reluctantibus aliis, devicit ([1]). Nec tamen ingrati usquam fuit animi, sed satagientis ut sui in virtutibus, nullo impediente, proficerent.

Huc enim semper incubuerat ; et vix arripuerat gubernaculum, cum sacram disciplinam ac vere religiosi viri mores cunctis ac singulis tenendos curaverat. Cumque *prima Quadragesimæ dominica* benedictionem accepisset, statim quæcumque apud Benedictinos pie fieri hoc anni tempore solebant, pro virili parte aggressus erat. Nec unquam postea desiit, quamdiu natura suppeditavit, hinc exemplum exactæ ad normam vitæ, hinc documenta salutis, omnibus assidue præstare. Immo cum senex, cruribus æger, capite autem sanus, nuper a se ædificato valetudinario non jam valeret discedere, tunc etiam ter in hebdomade ([2]) congregatos fratres monitis informare satagebat.

Veritus tamen esse dicitur ne quid detrimenti ex valetudine patris sua familia acciperet, ideoque sibi, antequam morte fungeretur, successorem putavisse sufficiendum. Hinc forsan factum ut Willelmus de Resenchun ([3]), jam mense martio anni 1213, *Abbatis*

1. *Hist. de Jumièges*, I, 334. — Cf. *Chartularium majus*, c. 306-308 ; 316-322.

2. *Hist. de Jumièges*, I, 337.

3. Alias, de Resentio (Guillaume de Rençon). Hic circa annum 1207 successerat Waltero, *Priori*, a quo editus est *Commentarius de Actibus Apostolorum*, Vid. B 66 (nunc A 212.) Cf. *Gall. Christ.*, XI, 196.

titulo in quadam [1] charta decoratus sit, quamvis Alexander, qui VIII kl. novembris tantum ejusdem anni ex vivis excessit [2], in altera pactione, acta ejusdem anni 1213 mense maio, *Abbatis* nomine insignitus legitur, Willelmus autem *Prioris*. Quæ quidem quorsus pertineant ut intelligamus, attendendum nobis esse monemur Gemmetici hanc [3], illam vero extra Gemmeticum esse factam; et qui foris *Abbatem* ageret, nec sine jure, eum domi parenti suo, honoris causa, primas, quamdiu ille viveret, servatas voluisse. Ita quidem nodum solvit historicus Gemmeticensis [4].

Nobis autem, etsi non omni ex parte displicet proposita explicatio, animadverti melius posse videtur anni initium, quod tempore sancti Ludovici in Gallia sumi a *Sabbato Sancto* solebit, jam tempore Philippi Augusti, non semper quidem, at sæpe certe sumptum fuisse [5]. Quod si ab Aprili annum 1213 incipias, mensis martius, qui duodecimus habebitur, post mortem Alexandri, quæ mense novembri accidit, erit computandus : neque ullus jam nodus solvendus occurret.

1. *Chartul. majus*, c.231. Constantiis habita est. Cf. *Hist. de Jumièges*, I, 340. — Item alia charta n° 434, acta coram Dno Willelmo, tunc *Abbate* Gemmeticensi, annum 1213 profert, sed sine mentione mensis.

2. Martyrologium et Necrologium Gemmeticensis monasterii (K 28 ; nunc U 50).

3. C 475. « Actum apud Gemmeticum coram Dno Alexandro tunc *Abbate*, et Willelmo de Resentio tunc *Priori*, anno Incarnationis Domini 1213, mense maio. »

4. *Hist. de Jumièges*, I, 338.

5. Vid. Léop. Delisle, *Catalogue des Actes de Philippe-Auguste*, Introd. LXVIII. — Cf. de Wailly, *Éléments de paléographie*, I, 351.

CAPUT SECUNDUM.

De Alexandri operibus.

DUM non dubitandum sit quædam *dictata esse*, ut in Gemmeticensibus et aliis Annalibus legitur, id est composita [1] ab Alexandro opuscula, jam quæ fuerint disquirendum.

§ I. De iis quæ Alexandro falso nomine tributa sunt.

LICET putavit Gemmeticensis historiæ e Benedictinis [2] auctor editum ab Alexandro librum ubi agitur *De Articulis fidei, de Sacramentis, de Virtutibus et Vitiis, et de Præscientia Dei contra curiosos* [3], mentionemque fecit alterius voluminis, quod quamdam continet minime inficetam *Summam de virtutibus* [4], itemque *Sermones de Sanctis*, aliosque *De variis scripturæ locis*, nullum ei tamen ex illis opusculis assignari posse nobis compertum est.

Sane egregium est opus, quod disserit *De Articulis fidei... et de præscientia Dei contra curiosos*, et sic incipit : « Cum solus in cella sederem, et aliqua de catholica fide mente revolverem, cogitare tacitus cœpi mecum, quam esset absurdum, quam impossibile et injustum, quam et recte rationi contrarium dogma deridere catholicum, dum docet Deum unum esse et trinum, dum verbum docet æternum carnem in tempore esse factum, etc. » Sed non ab Alexandro Gem-

1. Vid. du Cange, *dictare*. — 2. *Hist. de Jumièges*, I, 108.

3. E 20, (nunc A 340). Non autem E 19, ut contendit Anonymus in sua *Historia*. — Ornatus est liber pictis et deauratis literis, (XIV sec.).

4. Hic ille est E 19 (nunc A 267).

meticensi edi potuit. In eo enim allegatur Alexander quidam, qui non alius est quam Alexander de Hales : « Itaque videtur satis proprie posse dici, sicut noster docuit Alexander, in primo, quod prescientia Dei est ratio quare Deus aliquos reprobat, quosdam vero predestinat ([1]). » Hic autem Alexander de Hales, ex ordine Sancti Francisci, non ante annum 1245, id est multo post nostrum Alexandrum, diem obiit.

Hinc etiam, pluribusque aliis locis eruitur auctorem ipsum eamdem Minorum Religionem fuisse professum, ita ut dicat : *noster* docuit Alexander. Unde auctoritates, inde exempla solet depromere. Hoc sonat quod narratur de *fratre Raynaldo*, ad confirmationem fidei sanctæ Trinitatis : « Sicut ergo non dubitas, licet modum quo fiat non intelligas, te diversas habere naturas in eadem persona, ita non dubites Deum tuum plures habere personas in eadem natura, quamvis non attingat humana intelligentia, pondere carnis pressa. Nam *et quidam fuit frater Minor*, *Reynaldus nomine*, simplex et sanctus, sed de Trinitate supra modum temptatus. Quumque quadam die premeretur nimium stimulo temptationis, ad Deum tota mente recurrit... Cui Deus, ut ipse dicebat, sic se ei utique vigilanti ostendit, et quod esset trinus et unus ejus menti impressit, et quamvis ipse modum ostensionis dicere lingua nesciret, sic tamen certus de hoc factus est, ut ulterius dubitare non posset ([2]). »

Ne plura de isto opere, hoc tantum addam, non in Gallia compositum esse. Cum enim dicit auctor : « Milvius dum vere de partibus Hyspanie *ad nos* venit

1. E 20 (nunc Rotomagi, A 340), f. 164. — 2. Ibid., f. 13.

cum in volatu sit agilis, et paciens sit laboris, virtute devictus amoris, supra se cuculos ponit et *usque ad Ytalicas partes adducit* (1) ; » nonne insinuatur in Italia librum ortum habuisse ?

Alterum etiam volumen repudiandum diximus. Illam quidem *Summam de virtutibus*, quæ prima fronte voluminis occurrit, ex vetustiore et ampliore libro (2) resarcitam, mendis insuper in Gemmeticensi codice (3) scatentem, nemo Alexandro tribuit ; at concionesne, seu Sermones, in eodem volumine contentos, inter genuina ejus opera, cum anonymo Benedictino accensebimus? an saltem, si cum Dom. *Benetot*, auctore Gemmeticensis catalogi, qui apud *Montfaucon* legitur (4), reputabimus eas duorum diversorum esse scriptorum, tunc Alexander vel unicus omnium, vel alter e duobus auctoribus existimandus erit ? Minime.

Etenim priore parte quædam habetur concio de beato Francisco, ubi nonnulla verba historicorum hujus Sancti viri referuntur (5) ; cum autem sanctus Franciscus coævus Alexandri fuerit, immo post eum oppetierit, nullo modo noster talia scripsisse putandus est.

1. Ibid., f. 95.

2. Id patet ex titulo : Incipit *Summa de virtutibus abbreviata;* et ex operis initio : « Incipientes aliquid breve excipere de hiis quæ continentur in *Summa de virtutibus*,» etc.

3. Alter codex, melioris notæ, Parisiis reperitur (12.400). Integer est, Gemmeticensis autem mutilus. Ubi v. g. agitur de pietate, « prout Tullius et Macrobius loquitur » (f. 32), nos remittit auctor ad tractatum de caritate, item ad tractatum de superbia. Invenies in Parisino (f. 97) tractatum de vitiis, qui in Gemmeticensi deest.

4. *Bibliotheca bibliothecarum nova*, p. 1204-1217. (Vid. E 20, infra in Appendice II[a].)

5. Prior. part. f. 62-95. — « Unde legitur de ipso sic : Ipse enim pauper et pauperum patriarcha, pauperrimus esse desiderans,» etc. — (Ibid. notari potest : « Hoc est contra divites... varias *robbas* habentes, etc.)

Simili argumento altera pars amovebitur. Profert enim *sermonem* de beato Petro Martyre [1]. Quem agnosces illum esse, qui ordinem Sancti Dominici ingressus, martyrii palma anno 1252 insignitus est, si, quæ sequuntur, attendes : « *Videntes filii Prophetarum*... (Reg. IV). In verbis propositis duo principaliter notanda. Primus est status fidelium et maxime Prædicatorum, recolentium gloriosi martyris Petri manifestissimum triumphum,» etc.

Ceterum, cum nullius artis sint, ut plerumque, isti Sermones, nihil est cur eos lugeamus. Quantuli sint momenti ex uno exemplo satis superque perspicere erit. In primo, qui est de Sancto Andrea, nominis interpretatio reliquis præposita est : « Interpretatur *decorus*, et *respondens pabulo*, et *virilis*. Ab *andor* (sic), quod est vir, dicitur Sanctus Andreas, quia *antropos*, id est homo, ab *ana* quod est sursum, et *tropos*, quod est conversio; quia sursum ad celestia conversus est et ad suum Creatorem erectus [2]. » Sic argumentatur putidus scholasticus. Paulo quidem felicius oratiunculam suam dividit ; « Sanctus Andreas secutus est Christum, vocantem eum ad suam noticiam et cognitionem ; ... vocantem eum ad suam familiaritatem ;... vocantem ad Apostolatus dignitatem ; » nihil tamen habet altum de tanta materia; raro, ne dicam nunquam, insurgit : quanto nobis magis arridet nostri Bossueti de eodem sancto, licet minus accurate divisus, sermo panegyricus !

1. E 19, f. 106.
2. Ibid., f. 62. Fere similia, mendis tamen exceptis, leguntur apud Ordericum Vitalem, lib. II, 4.

In aliis Gemmeticensibus codicibus, seculo XIII° descriptis, aliæ conciones, seu potius concionum argumenta inveniuntur, quæ minus videntur indigna quæ Alexandro tribuantur. Nullum tamen ex his libellis ([1]) esse illius existimo, variis de causis, quæ satis apparebunt ex adnotationibus, quibus catalogum in Appendice relatum adumbrabimus.

§ II. De noto Alexandri opusculo.

JAM rejectis quæ falsa existimatione Alexandro imputata sunt, quænam re quidem vera opuscula dictaverit inquiramus.

In primis hic ponenda est Epistola de illa voce « Filius hominis », sæpe occurrente in Evangelio. Hanc ex Gemmeticensi codice (C 60) excerptam publici juris fecit Edm. Martenius in *Thesauro anecdotorum* ([2]). De ea docti ultimæ partis *Historiæ Literarum Gallicarum* auctores ([3]) sermonem faciunt, sed ut de Epistola mere theologica, cum ei titulum Martenius imposuerit : *De Filio hominis*, non autem, ut in Codice habetur ([4]) : De « *Filius hominis* ». Unde factum est ut, alia indagantibus quam quæ de mente auctoris fuerant, qui de *Filius hominis*, id est, de sensu vocis unius *evangelicæ* disserere potius intendit, quam de tanto ipso mysterio, quo Dei Filius factus est Filius hominis, tractatum edere, non eá visa est illis quæ exspectabatur ; sicque justo severius, ut mihi videtur, de ea judicatum est, dum paucis satis fastidiose expositis, illam in argutiis magna ex parte versari, quin aliquid dilucidetur, in

1. Vid. F. 6, 10, 12, 14. 16, 17. — 2. I, 777. Cf. Migne, CCV, 919.
3. *Histoire littéraire de la France*, XV, 610.
4. C. 60, f. 162, v° (Nunc Rotomagi A 411).

summa pronuntiaverunt. Inde etiam obscuritatis suspicio oriri potuit, quod, cum nescio quo casu, menda non pauca irrepserint in editionem, argumentorum junctura non semper apparet.

Rursus igitur illam Epistolam, ex ipso Codice, breviter exponamus, ut quid vere sentiendum sit, possit dijudicari. Narrat in exordiendo sapiens auctor sibi secreta in meditatione (1) quærenti « qualiter illud evangelicum : Quem dicunt homines esse Filium hominis ? simplicioribus fratribus gallico sermone (2) » exponeret, tantum obviavisse difficultatem, « ut vel nimis remota interpretatione » uteretur « et quę vix ad litteram videretur accedere ». Inde susceptam de vera illius vocis significatione investigationem ; cujus in quibus sita sit difficultas primum admonet ; ac deinde : « Hac igitur, inquit, difficultate coactus, ad profunda meditationis subsidia recurrebam, et veluti ruminando quod ab aliis audieram, ad memoriam revocabam (3). »

Cum autem ab aliis audita, quæ summatim refert (4),

1. « Secreta in meditatione aliquando querenti qualiter illud evangelicum etc. » — In editis : Secreta mihi meditatione.

2. Cf. Lecoy de la Marche, *La Chaire française au moyen âge :* « Et à Jumièges n'avons-nous pas vu tout à l'heure (p. 223) l'abbé Alexandre obligé d'expliquer l'Évangile à une partie de ses frères dans leur dialecte maternel ? » P. 245.

3. Ea, quæ in codice lucida apparent, in editis non ita facile intelligas, cum perperam iis quæ sequuntur ita juncta sint : « ad memoriam revocabam quicquid id est totum tibi, frater charissime, » etc.

4. « Aiunt igitur quod unus solus sit filius terre, unus solus Filius hominis, ceteri omnes filii hominum, Adam solus filius est terre ; per carnalem concupiscentiam geniti, omnes sunt filii hominum ; sine qua genitus, non hominum, sed hominis Filius est solus Christus ; quod quia illi soli convenit, imo quia ipse sic voluit, pro descriptione ei assignatum est, quę illi et soli et semper convenit. »

« Si vero obicitur quod et de Ezechiele scriptum hoc reperitur, improprie dictum putant, ut qui dicitur Filius hominis intelligatur et filius hominum : et hec est omnium fere de prědicta appellatione sententia. »

non omnem tollant difficultatem, jam aliquid de suo expromere aggreditur. Et primum hujus vocis *Filius* in sacris Scripturis varios sensus distinguit. Omissa itaque 1° creationis, 2° successionis vel generis, ac 3° demum adoptionis ratione, qua filius dici aliquis potest, quartæ inhæret, quæ est « secundum propriam substantie de substantia generationem, secundam quam Christus dicitur Filius Dei, et Filius hominis». Ceterum utrumque esse de christiana fide ; ideoque « nec tropo nec figura » usum esse JESUM CHRISTUM, « cum se Filium Dei, et Filium hominis nominaret ».

« Sicut nec [1] in aliis sacramentis, in quibus substantia fidei vertitur ; qualia sunt Eucaristia et Baptismus ; quid enim manifestius esse possit eo quod dicit carnem suam manducandam et sanguinem suum bibendum? quid apertius eo quod dicit : Qui crediderit et baptizatus fuerit, salvus erit : ita luce clarius et sine omni involucro Filium hominis se nominat ; non hominum, viri scilicet et femine, sed singulariter hominis ; ut ex necessitate intelligamus, non masculi, sed femine, cujus naturalis proprietas est concipere et parere. Ut igitur veritatem humane nature nobis credendam in se ostenderet, Filium hominis sincera veritas se vocabat ; et singulariter unius, ut singulari numero et virum excluderet, et tacite innuendo Spiritum sanctum intimaret. Unde sic intelligitur Filius hominis, ac si diceretur [2] Filius illius beate Virginis, quę a principio in collegio Christi inveniebatur. »

Hæc ille. Atqui, antequam ad ea quæ sequuntur properemus, num quid nos in illis quæ dicta sunt, reprehensione dignum existimabimus ? Quæ si obscura habebuntur, quid unquam enucleatum erit ?

1. In editis : Sicut *enim* in aliis...... (quæ alia causa est obscuritatis hoc in errore). — 2. In editis : « Ac si diceret ».

Cum tamen nondum solverent omnem quæstionem, ad alteram explanationem ille transiit, ex eo haustam quod *homo* et *Adam* idem sonent.

Vetus autem Adam, « cum peccasset, atque a primo statu suo in deteriorem statum declinasset, jure vetus atque inveteratus dictus est ». Item omnes qui ex eo, per naturalem generationem. Sed *filii* nomine « novitas signatur, quia cum *filius* auditur, novum aliquid indicatur ». Ideo Christus *Filius hominis* appellatur, id est « novus ex veteri ». Qui, « licet veteris sit filius hominis (1), totus ideo est novus, quia sine peccato est totus».

Insuper ut agnoscatur Christus vere dici Filius Adæ, seu talis hominis filius, qualem Deo placuerat institui hominem ab initio, admonemur Christum solum eam hæreditatem quæ Adæ promissa fuerat, sed ab eo amissa est, consecutum esse.

Ac postquam satis hoc fuse demonstratum est, sic tandem concluditur :

« Sed ut jam parcat oculis nimis evagata oratio, *Filium hominis* credimus esse id quod est *Novus ex veteri*, seu *Filius Ade*, habito respectu ad eum statum in quo fuerat Adam ante peccatum. »

Utut se habet illa Epistola (2), nonne altam et plenam mysterii quæstionem (3), etsi non omni ex parte

1. In editis :«Licet veteris sit filius hominis totus, ideo est novus, quia...» Sed perperam *comma* post *totus* recentiore manu in codice est additum.

2. Is ad quem scripta est, designatur litera R.. Frater est, i. e. *monachus* : « R. dilecto in Domino fratri frater Alex[ander] videre voluntatem Domini. » — Fuisse licet Radulfum de Bavilla, vel Radulfum de Huglevilla, qui sæpius occurrunt in chartis. Sed nihil habetur certi.

3. Apud Mathæum enim tricies et semel, apud Marcum quaterdecies, apud Lucam quinquies et vicies, apud Joannem duodecies vox illa *Filius hominis* invenitur in ore non aliorum, sed Christi de se loquentis. Illud sane erat attentione dignissimum.

dirimit, saltem aliquatenus dilucidat ? Illam proposuisse optimi ingenii fuit. His autem quæ noster disseruit, quænam philologi theologive addenda censeant, ipsi viderint ; hæc tamen eis non contemptim, ni fallimur, habenda sunt.

§ III. De ignotis adhuc opusculis.

VERUM ad alia Alexandri opuscula pergamus. At ubinam ea potius inquirenda censebimus, quam in illo eodem volumine, quod nobis genuinam illius servavit Epistolam ? Mirandum sane est quod anonymus historicus e Benedictinis seculi proxime elapsi [1], non ibidem *Alexandrinum* quid inveniri posse suspicatus est.

Hic autem Codex in *Catalogo*, quem anno 1656 Gemmeticenses confecere, his verbis descriptus erat : « — C 60. — Petri Blesensis tractatus de Conversione sancti Pauli. — Item liber officiorum continens « Moralium doctorum elegantiora verba ». Est veluti moralis Philosophia incerto auctore.—Liber dictus « Distinctio bonorum verborum ». Est numerorum mystica et fusa explicatio a 1° usque ad 10^{um}, enumerans quidquid ad hos numeros referri potest. — Alex... Epistola ad R... qua explicat theologice textum Evangelicum : *Quem dicunt homines esse Filium hominis ?* — Forma canendi in choro ex B. Bernardo. »

Quam parum accurata sit ista descriptio, jam ex dictis colligitur; sed neque est integra; nam his addere debemus: 1° «brevem Tractatum de accentibus [2]», ac 2° illas « Conjugationes Divinitatis » magistri Stephani [Tornacensis], in Nativitate Domini [3].

1. Forsan cur illud omiserit ea fuit causa quod falso existimavit posteriori tempore descriptum. (I. 373.)

2. C 60 (nunc Rotomagi A 411) f. 1-3. — 3. Ibid., f. 159.

Inter hæc omnia opuscula, tria igitur carent auctoris nomine, scilicet « Elegantiora verba Moralium doctorum »; « Distinctio bonorum verborum »; et « Tractatus de Accentibus ». Sintne tria hæc, an saltem unum alterumve, genuina Alexandri, operæ pretium erit inquirere.

1° « Elegantiora verba Moralium doctorum. » — Ac primo appositum ultimi tergo folii [1] illius « de Conversione sancti Pauli » tractatus, cujus auctor, Petrus scilicet Blesensis, non tacetur, et qui se habet ut in editis, seu, ut vere dicam, melius etiam quam in editis [2], illum Librum Officiorum, cui titulus: « Elegantiora verba Moralium doctorum, » inspiciamus. Hoc titulo modeste innuit eruditus anonymus a se collectas tantum fuisse philosophorum poetarumve morales sententias. At sui sic eum meriti aliquid sibi detrahere ex ipso operis procemio apparebit. Quod quidem referamus ad verbum necesse est, cum ex iis quæ ibi habentur auctor possit innotescere. Sic autem concinnatum est :

« Incipiunt elegantiora verba Moralium doctorum. Moralium dogma philosophorum per multa dispersum volumina, tuo quidem instinctu, vir optime et liberalis, contrahere meditabar. Dumque primo conticinii silentio super hac re scrutabundus memoriam consulerem, repente sompnus obrepsit. Et ecce vir sobrio decore laudabilis quasdam personas non minus matura gravitate reverendas antecedebat. Statimque, ut fit, solo animi augurio primum illum esse latine eloquentie auctorem Tullium mihi innotuit. Post quem ille moralitatis eruditor elegantissimus Seneca, cum quibusdam aliis quos tibi eorum verba deinceps significabunt, se agebat.

1. Quinti scilicet.
2. Cum enim nostrum exemplar sit auctori coævum, castius est omnibus quæ doctus Giles consuluit.

Una igitur conferentes arbitrabar descriptionibus distributionibusque moralem philosophiam quasi in artem nos colligere ; michique ipsi fas erat que vel ab hiis vel ab aliis audieram eorum proverbiis interponere.

« Expergefactus autem, stili officio audita designans, brevitati insistendum decrevi; primum ideo quia fragilis est memoria, et rerum turbe non sufficit ; necesse est enim quantum recipit emittat, et antiqua recentibus obruat. Ideo egregie scriptorem formare videtur, qui dicit :

> Quicquid precipies, esto brevis, ut cito dicta
> Percipiant animi dociles teneantque fideles,
> Omne supervacuum pleno de pectore manat.

« Preter hec tua diligens instantia me tam sepe polliciti consummationem poscebat; quod illud certum expertus sum quia animo desideranti nichil satis festinatur ; quodque desiderio mora est etiam celeritas.

« Ipsius preterea operis fructus cellula memoriali diligenter reponendus nullatenus diffusius se tractari permitteret. Nulla enim vite pars nec publicis, nec privatis, nec forensibus, nec domesticis rebus morali philosophia vacare potest. In hac excolenda sita est vite honestas et in negligenda turpitudo. De ea igitur accipe compendiosam particulam, ac si de magno flumine ciatum [1] tibi sorbillandum quis propinet.

« Puto autem te huic honestatis forme non minimam indulgere diligentiam. Adeo namque arto atque insolubili complexu inheres honesto, quod nec vehemens tumultus hujus perniciosissime seditionis honestatis curam tibi excutit. Videmus enim, quod licet temporis necessitas ad flagicia te pertrahat, mens tua contradicit et reclamat [2]. »

1. Id est, *cyathum*.

2. C 60, f. 5. — Jam in hoc prooemio, ut postea in toto opere, pauca moralis illius philosophiæ auctor e veteribus mutuatus est ; nec tantum tres Horatii versus, sed etiam alia ex Epistolis Senecæ aut ex Tullii Officiis.

Inquirenti quis fuerit *ille vir optimus et liberalis*, honesto tam fortiter inhærens *tempore perniciosissimæ seditionis*, tam doctus præterea ut, ex propriis verbis, eos qui cum Seneca et Tullio de morali philosophia consuluissent, calleret dignoscere, nonne ipse se offert laudatus Petrus Blesensis ? Ut enim ipse opusculum, quod in Codice præfertur, Alexandro dederat, ita forte alterum, quod in sua ad eum, quam retulimus, Epistola commemorat [1], accepit, hocque non aliud nisi de quo agimus. Quid enim de Blesensi nobis traditum est ? Audiamus Harpfeldium, Anglicum auctorem [2] : « Fuit vir omni genere doctrinæ pro illis temporibus excultissimus, non Anglus ille quidem, sed homo Gallus, quem propter eruditionem et prudentiam plurimi fecit Henricus II... Videtur fuisse vir ingenui et liberalioris animi in vitiis non solum amicorum et mediocrium, sed et principum virorum reprehendendis. »

Eruditionis autem potius excessu quam defectu ejus scripta laborare nemo nescit.

At cum semel et iterum adversus patrem bella movisset Henricus rex junior, rex quidem sine regno, quam immotus semper officio steterit Petrus, ostendunt graves et acriores Epistolæ quas non semel illi ingrato principi misit, cum sub nomine Ricardi, Cantuariensis archiepiscopi [3], tum nomine Rotrodi, archiepiscopi Rotomagensis [4].

Ex iis igitur videtur conjici posse librum hunc

1. V. supra, p. 4.
2. Apud Migne, in Petro Blesensi, CCVII, xv,xvi.
3. Epist. XLVII.
4. Epist. LXIX. — Cf. Epist. II, ubi Henricum secundum de morte filii, licet rebellis fuit, miseratur solaturque.

Officiorum, ab Alexandro compositum et Petro Blesensi dicatum, ante annum 1183, quo Henricus III obiit. Quod congruit quidem illi Epistolæ quam Blesensis Alexandro « Priori de Gemetico », scripsit. Fuit enim, ut diximus, *Prior* Alexander ab anno 1180 ad 1198.

Nec multum moror quod hoc opusculum, cujus exemplaria satis multa, præsertim e Northmanniæ bibliothecis oriunda, occurrunt, etsi in plerisque caret auctoris nomine, in quibusdam tamen alii auctori assignatum legitur (1). Cum is qui a nonnullis designatur, magister Odo, seu potius Atto (Shirton) (2), Anglus, ex ordine Cisterciensi, eodem quo Alexander tempore viveret, potuit ab iis qui in Anglia, ubi Petrus Blesensis mortuus est, sola litera A ornatum libellum repererunt, falso illius inventor existimari. Qui autem illud opusculum in nostro Codice, Blesensis tractatui affixum inspiciet, et cum ceteris exemplaribus conferet quæ mendis scatent, dum nullum nostro inest, sibi ortum illius cernere videbitur (3).

In hoc, ut diximus, opere, totus est auctor ut libata ex veteribus præcepta in quoddam moralis philosophiæ corpus coagmentet. Quare statim a se effictam ordinat consultationem; ac triplicem esse ait, ut apud Tullium (4), capiendi consilii deliberationem : « Prima est

1. Liber est anonymus, ut in nostro Codice, in Parisiensi 12.387, et in plerisque aliis. In Ebroicensi (n° 1) et in Parisiensi 13.407, magistro Odoni, seu Attoni tribuitur.

2. Vid. Leland, p. 213, c. 180.

3. Quod nobis veri visum est similius, scripsimus; nec adhuc posse de auctore dubitari diffitemur. Putavit quidam anonymus (13.407) litera R designatum virum ad quem opus mittitur; forte R pro P ornato acceptum est.

4. De Officiis I, 3, saltem quoad sensum. Item quæ infra datur divisio honesti.

de honesto tantum ; secunda de utili tantum ; tercia de conflictu utriusque ». Cum autem prima et secunda subdividantur in duas, tertia vero indivisa sit, sunt in summa quinque consultationes : « Prima, quid honestum ; secunda, de comparatione honestorum ; tercia, quid utile ; quarta, de comparatione utilium. Quinta consultatio est quando videntur utile et honestum sibi adversari. De hiis igitur in ordinem prefatum dicendum est. »

Postquam igitur quid sit honestum, ex suo [1] ipse et ex Senecæ sententiis, auctor finivit, illud cum veteribus dividit in prudentiam, justitiam, fortitudinem, temperantiam. Ac ita porro de singulis per ordinem fuse disserit, non ante tamen quam notavit cur prudentia reliquas tres præcedat, « quasi ferens lucernam et aliis monstrans viam : » item cur prudentiam sequatur justitia, et quænam ejus officium præpediant : sunt autem « duo affectus, timor et cupiditas, et due fortune, scilicet adversitas et prosperitas ».

Prudentia quid sit, et quam necessaria, ex Boetio, Cicerone, Seneca, Juvenali, et Salomone ostenditur. En accipe exemplum hujus generis documentorum : « ... Falsi amici pro consilio adulationem afferunt ; et una est eorum contentio, quis fallat [2]. Ex quo innumerabilia veniunt peccata, cum homines inflati opinionibus turpiter irridentur. Unde poeta :

Nichil est quod credere de se [3]
Non possit, cum laudatur diis equa potestas.

1. Cum in margine Codicis litera *a* inscribitur, signum est esse *auctoris* ea quæ dicuntur. Veteres item, sed non semper, suis initiantibus literis designantur, ut infra.

2. Tu[llius]. (*Notula* codicis). — 3. Ju[venalis, IV. 70].

« Tales enim nos etiam putamus, ut jure laudemur. Iccirco multi ignoravere vires suas, et dum credunt se magnos esse sicut audiunt, contraxere supervacua bella et in discrimen perventura. » Et subjungitur Xerxis exemplum, singulos assentatores auscultantis, Democritum vero, qui sibi vera diceret, repellentis.

Ac similiter multa deinde, seu potius multo plura de justitia afferuntur in qua distinguit noster, cum Tullio, severitatem et liberalitatem. De severitate quidem paucis agit, de liberalitate multis : illam enim 1° circa dantes, 2° circa accipientes considerat. Iterumque atque iterum aliis propositis partitionibus, in hac immoratur : « Quecunque... virtutes bonis reddunt debitum, ejus sunt partes. Reddit enim Deo ius suum religio (I), pietas parentibus (II), innocentia minoribus (III), amicitia equalibus (IV), reverentia maioribus (V), concordia concivibus (VI), misericordia egenis (VII). » De singulis fuse et per ordinem disserit.

Sunt autem vitia justitiæ contraria, quæ vice sua tractantur : « Duobus prefatis iusticie operibus totidem contraposita iniusticie genera summopere vitare oportet, scilicet truculentiam et negligentiam. » Quæ sint eæ, et quæ causæ earum, exponit antequam ad fortitudinem transeat.

Restat enim ut de fortitudine et de temperantia agat, ad perficienda ea quæ de honesto tractanda erant. Ad fortitudinem referuntur quæ de magnanimitate, fiducia, securitate, constantia, patientia congeruntur, itemque de bellicis officiis; ad temperantiam vero quæ de verecundia, abstinentia, sobrietate.

Postquam igitur prima pars operis, quæ erat de

honesto, in tantum excrevit (quod sane mirandum non est, cum omnia in hoc opere, ad honestum referre scriptor intendat), secunda, quæ est de comparatione honestorum, uno articulo clauditur; statimque tertia incipit, quæ est de utili, ubi de bonis fortunæ, de peculio, de prælatione, de gloria agitur.

In comparatione vero utilium, in qua sita est « quarta controversia », amplius nihil habetur, quam quædam admonitio quonam modo conferas, si libeat, commoda corporis cum externis commodis, teque ita interroges : Valerene mavis quam dives esse? vel rursus : Divesne esse mavis quam maximis viribus corporis uti ? vel denique ea quæ non sunt corporis inter se, simili ratione, verbi gratia, hinc divitias, hinc gloriam compares.

Ac demum *de controversia utilis et honesti* satis multa in medium veniunt, ut sunt ea quæ apud Lucanum Ægyptio regi suadere audet Pothinus :

Jus et fas multos faciunt, Ptolemæe, nocentes.
Dat pœnas laudata fides, cum sustinet (inquit),
Quos fortuna premit ; fatis accede deisque,
Et cole felices, miseros fuge. Sidera terra
Ut distant, et flamma mari, sic utile recto.
Sceptrorum vis tota perit, si pendere justa
Incipit ; evertitque arces respectus honesti.
Libertas scelerum est, quæ regna invisa tuetur,
Sublatusque modus gladiis. Facere omnia sæve
Non impune licet, nisi cum facis. Exeat aula
Qui volet esse pius ; virtus et summa potestas
Non coeunt ; semper metuet, quem sæva pudebunt (1).

1. Lucanus, VIII, 484-495.

Adversus talia pessimorum assentatorum verba quæ sibi noster objicit, ostenditur « summa auctoritate philosophorum tria hæc, bonum, honestum, utile » permisceri et ad idem revocari (1).

Non inepto tandem *Epilogo* clauditur opusculum ; qui quidem fere totus ex Cicerone et Seneca concinnatus est :

« Hec prescripta servantes, licet in tranquillo honestatis vivere, et ad normam rationis vitam reducere. Ut enim in fidibus (2) aut in tibiis, quantumvis paululum discrepent, tamen id ab artifice comprehendi solet, sic nobis ducenda est vita ne forte quid discrepet ; vel etiam in quantum melior est actionum quam sonorum concentus. Itaque ut in fidibus musicorum aures vel minima sentiunt, sic nos, si volumus esse acres vitiorum animadversores, magna sepe intelligemus ex parvis : ex oculorum obtutu, ex remissis aut contractis superciliis, ex mesticia, ex hylaritate, ex risu, ex locutione, ex contentione vocis, ex submissione, ex ceteris similibus, facile judicamus quid eorum apte fiat, quidve ab officio discrepet. Quo vigente, non est incommodum quale quicque eorum sit, ex aliis judicare : ut si quid in aliis dedeceat, vitemus et ipsi ; fit enim nescio quomodo ut magis in aliis cernamus, si quid delinquitur, quam in nobis ipsis.

« Unde poeta :

Cum tua pervideas oculis mala lippus inunctis,
Cur in amicorum vitiis tam cernis acutum (3) ?

« Hiis ergo prescriptis vir amator honestatis crebrum et assiduum adhibeat usum ; *fere enim omnium omnia moralium doctorum elegantiora verba hec angusta paginula comprehendit* (4). Unde hic facilius intueri ea poteris, quam si multorum

1. « De *identitate* utilis et honesti. » f. 22, v°

2. Ex Cicerone, *De officiis*, lib. I, 40-41.— 3. Horatius, I, *Satir.* I, 25.

4. Allegati auctores in hoc opere, hi sunt : Tullius, Seneca, Sallustius, Socrates (sic), Plato, Boetius, Salomon ; — Horatius, Juvenalis, Persius, Lucanus, Ovidius, Terentius.

per volumina dispersa colligeres. Multorum enim actorum lectio et omnis generis voluminum [1], aliquid vagum et instabile habet. Verum est namque quia nusquam est qui ubique est Vitam in peregrinatione agentibus hoc evenit ut multa habeant hospitia, paucas amicicias. Idem accidat necesse est hiis qui nullis ingeniis familiariter se applicant, sed omnia cursim et properanter transcurrunt. Non prodest cibus, nec corpori accedit, qui statim sumptus emittitur. Nichil eque sanitatem impedit, quam remediorum crebra mutatio ; nec venit ad cicatricem vulnus in quo medicamenta temptantur. Non convalescit planta que sepe transfertur. Nichilque tam utile, ut in transitu prosit. Distrahit animum librorum multitudo. Itaque cum legere non possis quantum habeas, satis est habere quantum legas. Fastidientis enim stomachi est multa degustare, quia ubi varia sunt et diversa, inquinant, non alunt. Probatos itaque semper lege, et siquando ab aliis diverti libuerit, ad priores redi. Et cum multa percurreris, unum excerpe quod illo die concoquas.

Illud enim bonum curandum est, quod vetustate fit. Preter hec etiam ea quæ de moribus precepta videbis, re ipsa et actu complere satage. Ut enim medici vel oratores [2], quantumvis precepta perceperint, quicquam dignum laude sine officio consequi nequeunt, sic officii conservandi precepta traduntur, illa quidem ut faciamus. Sed rei magnitudo usum quoque et exercitationem desiderat. »

Post hæc autem alii codices alium finem faciunt ; noster vero hæc habet :

« Ut locus in mari sine portu navibus non potest esse tutus, sic animus sine fide stabilis amicis esse non potest. »

Quam quidem sententiam in proprio, ut putamus auctoris exemplari repertam, Gemmeticensis librarius ad calcem operis exscripsit, neque aliud addidit, nisi

1. Senec., *Epist.* II.
2. Ex Cicerone, *De officiis*, I, 18.

hoc : « Finit liber officiorum continens moralium elegantiora verba doctorum ([1]). » Ceterorum vero codicum scriptores, eam omittentes, ut quæ ad præcedentia verba non apte referretur (referebatur autem ad illum, quem supra repræsentavimus, *prologum*, docto ac præpollenti viro, eidemque integerrimo dicatum), de suo, vel potius ex Boetii libris compleverunt ; ut in Parisiensibus 12.387 et 13.407, ubi hæc legimus :

« Animadversamini igitur vitia, ut ait Boecius in calce libri de consolatione. Virtutes colite ; ad rectas spes animos sublevate ; humiles preces in excelso porrigite. Que si recte sint, inefficaces esse non possunt. Magna siquidem vobis est, si dissimulare non vultis, necessitas indicta probitatis; cum ante oculos versemini judicis cuncta cernentis. »

Hanc vero conclusionem, ut maxime christianæ pietati consonam esse, ita parum his, quæ in opere præposita erant, cohærere nemo non facile agnoscet ; idque, ni fallor, innuit etiam Gemmeticensem nostrum codicem minus quam ceteros a fonte distare.

2° Expositio brevissima verborum : Omnia in numero, et pondere, et mensura... (Sapient. XI, 21.)

Notandum totum opusculi, de quo jam diximus, tenorem, licet alia manu quam ejus qui Alexandri Epistolam, et plurimam ejusdem voluminis partem descripsit, sub illius tamen oculis esse exaratum. Hoc enim eruitur ex quibusdam, quæ legenti occurrunt, additamentis. Nam ubi de periculis summæ potestatis, seu, ut noster loquitur, *prælationis* agitur, cum illud poetæ recitatum esset :

---

1. C. 61, f. 24, v°.

Ad generum Cereris sine cæde et sanguine pauci
Descendunt reges et sicca morte tyranni ([1]),

hæc in libri margine addidit illa laudata manus, quæ toto fere decursu voluminis calamum tenuit :

Non sic excubię, non circumstancia pila,
Quam tutatur amor, non extorquebis amari ([2]).

Hanc autem manum ea quæ jam dicturi sumus esse ipsius Alexandri nos monebunt, ideoque volumen istud, quod nullo modo potest dubitari quin ex libris ejus fuerit ([3]), esse magna ex parte autographum.

Nec ignoro equidem quam difficile sit, pro tam remoto tempore, argumenta id genus adstruere. Nonnunquam tamen dignosci certo librarius potuit, ut contigit de Orderico Vitali, cujus manu plures exscripti Codices non jam in dubium veniunt. Jam vero ad idem explorandum quædam nos juvabunt. Legitur enim ad calcem unius illorum voluminum, quæ adhuc illam attestationem retinent : « Hic est de libris quos magister Alexander contulit ecclesie Gemmeticensi... », hæc non aspernenda adnotatio, quam quidem de verbo referemus, utpote brevem, et opusculis nostri scriptoris adnumerandam :

« Nota : *Omnia in numero, et pondere, et mensura disposuisti.*—Ad litteram *in numero* fecit omnia ; unde : Qui numerat multitudinem stellarum et omnibus eis nomina vocat ([4]). — Vel *in numero*, id est in se ipso prebente cuilibet speciem qua ab aliis discernitur. — Et *in pondere*, in se omnia trahente ad stabilitatem. — *Et mensura*, id est in se modum cuilibet rei prefigente.

1. Juvenal, Sat. X, 112. — 2. Claudian. de IV Consul. Honorii, 271.
3. Vid. supra, p. 5, n. 5. testimonium ex Annalibus Gemmeticensibus Vaticanæ bibliothecæ. — 4. Psalm. CXLVI, 4.

« Vel ita. *Omnia in numero disposuisti*, id est distinctione qualitatum qua quęque res ab aliis distinguitur, et res una numero cognoscitur. Et *in pondere:* quedam ponderosa deorsum feruntur, ut terra, quędam levia sursum ut ignis. *Et mensura:* Posuisti terminum quem non transgredientur, neque convertentur operire terram ([1]). Similiter et alia quęque creat in mensura.

« Vel *in numero*, id est in iudicio, distincte. Scilicet in iudicio dinumerantur et examinantur partes litigancium, et ideo numerus ponitur pro iudicio et distinctione. *Et pondere*, id est iusticia. Omnia enim iuste fecit. Ubi iusticia exercetur, pondus et gravitas peccantibus incumbit; et ideo pondus pro iusticia ponitur. *In mensura*, id est in veritate. Non enim confert creaturis fictum vel fantasticum esse; sed ut ab ęterno previdit, in veritate ad esse conducit creaturam. Mensura fallaciam non recipit, nec veritas falsitatem admittit. Et ideo mensura pro veritate ponitur.

« In eis quę rationem habent, amor seu voluntas pondus appellatur. In irrationalibus vero voluptas sive appetitus. Unde dicitur : Trahit sua quemque voluptas (2). »

Hanc autem satis luculentam adnotationem, quæ adeo non potuit posteriori tempore adjici, ut facile existimaretur, si foret hoc possibile, vetustior ipso Codice, qui eam ad calcem exhibet, (est autem ille XII^i seculi ([3]),cum Gemmeticum allatus sit anno 1171, a nemine justius appositam putabimus, quam ab ipso possessore voluminis.

Huc accedit, quod hæc eadem scriptura, cui nullam aliam similem invenimus in Gemmeticensibus libris, rursus in Epistola Alexandri occurrit ([4]), ut in pleris-

1. Psalm. CIII. 9. — 2. B 28, (nunc A 149,) f. 184 et ultimo.

3. Eodem f. 184 ; « Hic est de libris quos magister Alexander.... »

4. C 60, (nunc A 44) f. 163. — Dum in subscriptionibus pluribus Alexandri voluminibus a bibliothecario appositis (anno 1210), dicitur

que aliis cum ipsius tum amicorum, quæ in eodem volumine exarata sunt, opusculis. Num igitur temere videbimur conjicere, quotiescumque illa sese nobis offeret manus, ab Alexandro aut compositum libellum, aut saltem exscriptum esse?

Jam cum ea quæ aliorum sunt aliis nominatim in hoc Codice adjudicata sint ([1]), si quando ibidem alicujus opusculi hæc eadem scriptura nomen auctoris non referet, nullum aliud in mentem veniet quam Alexandri; cum ea præsertim opuscula quantum ejus modestiæ, tantum doctrinæ respondeant.

3° Tractatus de Accentibus.

AC nos ideo brevem illum *Tractatum de accentibus*, qui ceteris in volumine C 60 præpositus cernitur, quique pro sua excellentia Alexandro tribui posse nobis videbatur, non amplius dubitavimus illi assignare, postquam ea, quæ modo de illa scriptura exposuimus, nobis comperta sunt. Hoc, eadem illa manu expressum, brevissimum opusculum ad calcem hujus nostri libri adnectemus ([2]), non indignum arbitrati quod oculis doctorum subjiceretur. Dum enim accurate veterum regulas, quas paucis complexus est, æqualium suorum usibus accommodavit ([3]) Gallicus auctor, se non modo

semper ille « magister Alexander », hic modestius « frater Alexander »; cum ipse, ut puto, de se loquatur.— His accedit mendorum felix absentia.

1. Sub initio : « *Petrus Blesensis* de conversione Sancti Pauli » (f. 3.) et circa finem : « Incipiunt conjugationes Divinitatis edite a *magistro Stephano* in Nativitate Domini. » (f. 159.)

2. Vid. Appendicem priorem. Ibi e sola lectione apparebit quantum differat a Prisciano, vel potius ab anonymo cujus opusculum inter ea quæ Prisciani erant insertum est. (Edit. Krehl, II, 360-385). Item differt ab Isidoro. (Migne 82, p. 93.)

3. Sic, cum dixisset : « Accentus est mora transitus de una vocali ad aliam vocalem in pronuntiatione significata... » addit : « Est pronun-

transcribendis eorum paginis, aut contrahendis idoneum esse ostendit, sed et, sicubi locus esset, de suo supplendis. Quod fecit, verbi gratia, propria ratione finiendo quæ vere barbaræ voces sint dicendæ ; eæ scilicet quæ non habeant inflexiones casuum, cum tamen numeros habeant et genera ; « qualia sunt, ait, omnia hebrea vocabula ; » hoc autem de vernacula lingua addit, quod est sane notandum : « Inde quod gallica lingua barbara dici non potest, *cum habcat varias terminationes casuum et articulorum.* »

4° Distinctio bonorum verborum.

ILLUM denique ceteris multo ampliorem [1] librum, qui dicitur *Distinctio bonorum verborum* (quod idem fere sonat atque *delectus* bonorum verborum, seu sententiarum), eadem etiam manu in eodem codice repertum, exploremus. Jam inter « scolares libros » quos « magister Alexander contulit ecclesie Gemmeticensi » computatum esse diximus [2]. Verum datusne sit tantum ab ipso, an etiam compositus, id superest inquirendum.

Illa quidem insolentior nostris quam illis temporibus elucubratio, in qua quidquid ad numerum primum, secundum, et ita porro ad decimum usque referri potuit, tractatum conspicimus, brevius modo, modo fusius, minime talis est qualem nobis exhibebat Gemmeti-

tiatio significata, qua utimur in lectione Epistolę vel Evangelii, et ejus mora dicitur accentus. »

1. C. 60, f. 25-159, densissima et scite artata scriptura.

2. Ex *Annalib. Gemmet.* (Cod. Vatic. Reg. 553). V. Supr. p. 5. — Dum autem ibi habetur : « Volumen quorumdam excerptionum seu florum, quod dicitur Bona verba, » videtur scriptor in unum miscere Moralium dogma philosophorum et Distinctionem bonorum verborum. Inde enim fieri poterat, quod in eodem codice reperiebantur.

censis seculi XVII[i] *catalogus* (1), dum eam dixit numerorum *mysticam* et fusam *explicationem*. Sed antequam quanti sit momenti appareat, animadvertamus eam intra claustrum a religioso viro redactam. Quod ex multis agnoscitur. Illud lege, quod inter *quaternarios* est : « Quatuor quaternionibus militum diabolus circumvallat *monachum*, unum collocans ad pedes, alium ad caput, alium retro, et alium ante. Inferior ergo quaternio est carnis cura ; superior, superbia ex virtutibus ; posterior, memoria delictorum ; anterior, instantia tribulationum... »

Immo fuisse auctorem in aliqua constitutum dignitate suspicari licet, dum in *ternariis* multiplicem *Prælatorum* notat esse timorem : « Tripharius est prelatorum timor : ne audientium animos exquisitior apparatus commoveat ; ne interni iudicis oculos immoderatior usus offendat ; ne iustitię retributio in presenti eis fiat (2). »

Hoc nos igitur opus, quod ejusdem manum et stylum auctoris exhibet, cujus *Epistola de « Filius hominis »*, Alexandro etiam putamus assignandum. Est autem, ut jam conjicere fas fuit, quædam privatarum cogitationum summa, inordinate disposita, ubi plurima virum theologum sapiunt, nonnulla philosophum vel oratorem.

Eruditus sane est auctor, sed jam sacris potius scripturis quam profanis auctoribus paginam suam illustrat.

Callet enim textum quemlibet ad literam interpretari ; ut cum exponit quomodo intelligenda sint illa Christi verba : « Ego sum via, et veritas, et vita » :

1. Vid. supr. p. 34. — 2. Fol. 40.

« Unica est fidelium via, veritas et vita, que hoc ipsum de se pronunciat, quum dicit : Ambulare vis ? ego sum via. Falli non vis ? ego sum veritas. Mori non vis ? ego sum vita. Hoc est : Non est quo eas, nisi ad me ; non est qua eas, nisi per me ; non est ubi maneas, nisi in me.

« Vel aliter : Ego sum via, veritas et vita : via sine errore querentibus, veritas sine falsitate invenientibus, vita sine morte permanentibus :

« Leo papa sic : Ego sum via, conversationis scientię ; veritas, divinę doctrinę ; vita, beatitudinis sempiternę (1). »

Rursus plura vel accurate divisa, vel altius excogitata, vel acriter expressa sunt. Singula singulis exemplis illustremus.

Egregia partitio :

« Distinctio unitatum. — Unitatum alia est naturalis, quę mirabiliter spiritum et lutum coniungit. Alią coniugalis, per quam « duo sunt in carne una ». Alia virtualis, quę hominem constantem reddit : non « duplicem animo, » non « inconstantem in viis suis ». Alia moralis, quę habitare facit « unius moris », sive unanimes « in domo ». Alia spiritualis, per quam « qui adheret Domino unus spiritus est (*I Cor.* VI, 17) ». Alia socialis, quę repperitur in Angelis. Alia personalis, quę est in summa et ineffabili Trinitate. Alia principalis, ubi est « Deus omnia in omnibus (2) ». (*I Cor.* XV, 28.)

Alte cogitata :

« Quare anima non possit apprehendere quid sit Deus. — Unum est felicitatis elogium, quod convenit illis de quibus potest dici : « Frustra jacitur rete ante oculos pennatorum. » (*Proverb. I, 17.*) Ligatur enim anima nostra carne ; et per carnem sensibus ; per sensus, sensibilibus. Inde est quod totam se transfundit in dolores et voluptates corporis hujus, totam se erigit ad fenestras corporalium sensuum, totam se

1. Fol. 35, V°. — 2. Fol. 35.

occupat in aspectu sensibilium istorum. Vix invenitur inter filios Adam, qui se ad plenum sentiat his laqueis irretitum, qui conetur evadere, et saltem moveat alas. Sub his laqueis quasi volitant quedam,sed non datur ultra,quia « corpus quod corrumpitur aggravat animam,et deprimit terrena inhabitatio sensum multa cogitantem ».*(Sapient.* IX, *15.)* Hinc est quod philosophi,cum conarentur apprehendere Deum per scientiam, defecerunt,et «evanuerunt in cogitationibus suis».(*Rom.* I,21.) Nostri vero theologi, etsi non apprehenderunt quid sit Deus,gustaverunt tamen «quoniam dulcis est Dominus»*(I Pet.* II, *3)*; et in illa dulcedine tale quid experti sunt, pro quo tribulationes et mortes non timuerunt. Erit quando cantabunt : « laqueus contritus est, et nos liberati sumus. » *(Psal.* CXXII, *7.)* Quando per contemplationis campos celeritate nimia tam libenter quam indefesse volabunt (1). »

Nonne hæc acriter,ne dicam sublimiter cogitata sunt? En inspice vividam descriptionem : ubi quadruplicis generis hostibus virum Deo dicatum circumvallari noster, ut diximus, demonstrat, hanc luctam ita depingit :

« Accedit ergo primus moderato incessu, capite demisso, et ait : Pax vobis ! — Cui ille : pacificusne est ingressus tuus? *(III Reg.* II, *13.)* — Pacificus.— Ob hoc maxime est cavendus, scilicet non de facili hostis cavetur, cujus ingressus pacificus exspectatur.—Tandem sic incipit : « curam carnis agere debes in necessariis : « Nemo enim carnem suam unquam odio habuit. » *(Ephes.* V, *29)*... Hoc iumentum tuum tibi commissum est : et sicut honus et virga, sic et cibarium debetur iumento. Caro tua est sicut corda in cithara. Psallentes enim in choro,ad modum cithare dulce melos resonant in auribus creatoris : tendere ergo debes cordam tuam, non rumpere ; quod si

1. F. 35, v°. — Ibidem pulchre ostenditur solum Christum intrare in regnum cœlorum ; nosque nonnisi ratione membrorum cum eo qui est caput nostrum, « si tamen membra conformia fuerint et coherentia capiti ; conformia moribus, coherentia fide... »

rupéris eam,nonne iniurius erit cithare fratrum,et cui citharizas?... Utere ergo concessis. Cibi enim regulares quibus vesceris, potius obruent te quam nutriant : casseus universaliter pessimus est ; ova convertibilia ; legumina inflativa ; aqua stomachum constringit. De piscibus dicerem, sed raro apponuntur tibi. — Cave, vir bone, et vide quam subdolus est iste *quaternio :* potius vult te esse medicum quam monachum; discipulum Galieni quam Benedicti [1] etc. »

Velim equidem illum semper talibus inhærere, sed non semel, ut vere dicam, more æqualium suorum, subtiliora quam luculentiora persecutus est : nonnunquam etiam, raro tamen, in quædam insulsa cecidit. Sed quam multa inde cum docendo in auditoriis, tum concionando in cathedra poterant idonea hauriri ! Quamobrem cum nos conciones Alexandri, sodalibus probatissimas, sive latino enuntiatæ essent sermone doctioribus, sive vulgari lingua « rudioribus fratribus », nullibi reperiamus, ea nos sinunt aliquid de ejus eloquentia conjicere.

Ad concionandi munus spectare hoc scriptum ipso exordio innuitur, ubi agit auctor ante omnia *De manna in significatione verbi Dei.* Quod autem de multis capitibus suspicari licet, hoc de eo cui titulus : *De Trinitate, Dominica ante Adventum,* minime potest dubitari. Ex quo nonnulla afferamus necesse est :

« Tria dedit homini Trinitas Deus : imaginem suam, similitudinem suam, et beatitudinem. Imago fuit pro natura. Similitudo de gratia. Beatitudo, merces laboribus hujus nostre peregrinationis recompensanda. De imagine sunt nobis bona naturalia, ratio, memoria, ingenium, etc. De similitudine virtutes, prudentia, temperantia, fortitudo iusticia, etc.,

1. Fol. 106, v°.

per quas Deo similes sumus... Propter beatitudinem quam speramus, in laboribus, Deo iuvante, non deficimus.

« Imaginem Dei accepit homo a prima sua creatione, eamque invincibilis Dei misericordia nunquam homini austulit... Similitudo quoque primo homini collata ab inicio fuit, sed eam peccando amisit ; quam tamen multi per ineffabilem misericordiam Dei recuperaverunt. Hoc enim pro certo habemus sine similitudine Dei ad regnum celorum neminem posse pertingere : oportet enim nos *conformes fieri imaginis Filii Dei.* (Rom. VIII, 29.) Beatitudo vero non ipsa quidem data est sub celo, sed promissa fideliter. Atque ut nulla esset in promissione dubitatio, accepimus arram ad pregustandum, et pignus, nostre videlicet certitudinis testimonium. Arra vero hec, seu pignus, quod non opportuit nos abjicere donec ipsam rem possideremus, non aliud est quam Spiritus Sanctus. Sic enim ait Johannes Apostolus : *Quoniam de Spiritu suo dedit nobis* (I Joh. IV, 13) ; et Paulus : *Accepimus*, inquit, *pignus Spiritus.* (II Cor. I, 22, v, 5). Nos tamen velut insensati et perditi, Spiritum Sanctum a nobis expulimus, arram nostram perdidimus, pignus proiecimus... O quam pessima mutatio ! [1]... »

Nec semel occurrunt in hoc opere tales adhortationes, quibus insinuatur auctoris eloquentia. Illi enim sacro sermoni, ex quo nonnulla hausimus, alius præmissus est, utique non contemnendus :

Ut in iudicio parati inveniamur.

« Tribus modis premunit nos Deus ut in extremo iudicio parati inveniamur : ipsius iudicii locum determinat, causam proponit, de modo agendi nos instruit ; ut habeamus omnia instrumenta que in causa illa necessaria erunt. Diem tantummodo tacet, ut omni hora parati esse curemus, qui nescimus quando vocandi sumus... »

1. C 60, f. 50. — Pergit orator ostendendo quæ sit imago Dei in nobis : « illa enim, inquit, utcunque remansit nobis. » Imaginem Dei in tribus consistere, memoria, intelligentia, dilectione fuse ac luculenter exponit

Ac postquam quo loco gentes judicaturus sit Christus, circumspecte (1) disseruit, ostenditque causam jam propositam esse, cum nobis dictum sit : « Redde rationem villicationis tuæ (2), » *(Luc. XVI, 2)*, concludit difficilem et periculosam esse causam nostram. Sed cum illo modum agendi inspiciamus :

« Sciendum, inquit, quod quicumque de facto accusatur ante iudicem, aut transfert causam, dicens : Non feci ; aut defendit factum, dicens : Iuste feci; aut deprecativum genus cause tantum sibi assumit, dicens : Peccavi, miserere mei non amplius faciam.

« Nos autem transferre causam non poterimus, quia non erit maior curia, nec iudex superior. Negare non poterimus, quia libri omnium aperti erunt, id est conscientie. Sed nec defendere poterimus, quia « si dixerimus quod peccatum non habemus, nos ipsi seducimus, » *(I Joh. I, 8)*. Restat igitur ut confiteamur, et erit, ut diximus, deprecativum genus cause. Quod etsi parum quandoque valet aput homines, plurimum tamen aput Deum. Nos igitur, antequam veniatur ad discussionem, legationem premittentes, sicut ipse docet *(Luc. XIV, 32)*, rogemus ea que pacis sunt, quia non necesse habemus discuti. Hec autem legatio multiplex est. Quandoque enim premittimus orationes, quandoque munuscula, quandoque flebiles narrationes ; quandoque cum satisfactione sic confitemur, ut quod ipse puniendo contra nos erat acturus, nos pro eo de nobismetipsis agamus... (3) »

---

1. « Quod circa vallem Josaphat iudicaturus sit Dominus, *verisimile* est... Iustum est ut ibi iudicet iuste, ubi iudicatus est iniuste... »

2. « Quid enim aliud quam villici seu dispensatores Domini sumus, qui omnia bona quæ habemus, ab ipso accepimus, rationem utique reddituri, cum ipse voluerit... ? »

3. C 60, f. 48. — Alia egregia exhortatio legitur, f. 37 : *Ut memineris eorum que pro te Christus passus est.* — Cf. plurima alia *de Passione Domini*, f. 56; 78, v°; 94, v° ; 95 etc.

Notandum vero illa, non ut tenerentur memoriter, neu de verbo enuntiarentur, esse scripta ; sed ut inde qui scripserat haberet oculis subjecta, quæ pro libito sibi ad mentem cogitando valeret revocare. Inde etiam factum est ut ponerentur quibusdam locis *communes exhortationes*, qualis, verbi gratia, habetur f. 61, (v°); et sic incipit :

Communis exhortatio : Ut quis in congregatione bene vivat.

« Tria exiguntur ad hoc ut in congregatione bene vivat quis : ut vivat ordinabiliter, sociabiliter, et humiliter.

« Ordinabiliter : ut in omni conversatione sua sollicitus sit observare vias suas, et in conspectu Domini et in conspectu proximi, cavens et sibi a peccato et illi a scandalo.

« Sociabiliter : ut studeat amari et amare, blandum se et affabilem exhibere, subportare non solum pacienter, sed et libenter infirmitates fratrum, tam morum quam corporum.

« Humiliter : ut cum hec omnia fecerit, spiritum vanitatis exsufflet, qui ex hujusmodi nasci solet, et quantumcumque illum senserit, negare studeat omnino consensum... »

Item in alia *communi exhortatione* (ut hanc in ultimum sumamus exemplum), tria nobis necessaria esse « ad transeundum mare hujus seculi » ostendit : navem, malum, et velum. Quibus in decursu orationis addit *gallum* [1], « per quem ventus observatur », cum ceteris quæ sunt nautici apparatus :

« Debemus ergo habere navem per fidem, malum per spem, velum per caritatem, gallum per probationem spirituum, funes per exercitationem virtutum, remos per exibitionem bonorum operum, gubernaculum per discretionem, rete per predicationem, cibum per lectionem ; et ventum, Deo

1. Cf. in Codice Parisiensi 4.861, f. 130, v° — (olim Lirensi) : —
Turribus ecclesie *gallum* solitum superesse...

largiente, per Spiritus Sancti inspirationem : de quo scriptum est : « Spiritus ubi vult spirat. » *(Joh. III, 8.)* Si igitur talem apparatum navis habuerimus, ad portum salutis, Deo gubernante, perveniemus. Sed quam pauci sunt qui eum habeant!... »

Inde transit ad parvum numerum electorum, de quo satis multis agit [1].

Licet igitur, ut ex allato ultimo exemplo apparet, nimis subtilibus argumentis et *allegoriis* plus æquo noster interdum indulget, cum ipse suorum temporum sit, nonne tamen aliqua laus est in illis concionibus, ubi rectum invenias júdicium, doctrinam multam, et illam dulcium affectuum formam quæ christiana unctio dicitur; promptum ad excogitandum ingenium, uberem sententiarum copiam, delectumque verborum, usui quidem illius ævi accommodatorum ; in simplicitate varietatem, et in ipsa negligentia quamdam diligentiam.

Hæc de Alexandro Gemmeticensi dicta sint; de quo si plura dissererem, fortasse ut inutilia, ita molesta essent. Satis tamen multa haberi existimo ut hoc ponatur, non omnino a vero declinavisse, qui olim inter primarios sui temporis viros illum computaverunt.

Cur autem quod æquales non idem posteri senserint, in primis modestia viri causa fuit. Nam cum virtutem eruditionemque in solitudine obtexisset, non ad suam, sed ad domus suæ, immo Domini sui gloriam elaboravit. Nec tamen adeo potuit abscondi, ut nullam de se

1. C 60, f. 73, v° — Item *de qualibet virgine*, f. 62 ; — *de quolibet confessore*, Ibid. — etc.

quasi in gyro mentionem personare sineret. At paucis editis opusculis, cum plurimus fuisset in docendo aut consulendo non scriptis, sed verbis coram enuntiatis, sensim in oblivionem ivit, dum ea fama conticuit, quæ circa viventem percrepuerat. Neque aliud de se videtur ipse optavisse, qui scripta neque evulgavit, neque suo ornata nomine voluit.

Quæ autem aut comperimus, aut conjecimus ipsius esse, non indoctum indisertumve virum ostendunt; eum tamen qui domesticam potius quam publicam eloquentiam, inclusis commentationibus, coluerit; ita præsertim institutum, ut non merus dialecticus agnoscatur, quales gregatim ea tempora fuderant, sed literatus homo, immo literatissimus, qualis et Petrus Blesensis, amicus ipsius sociusque, et multi alii tunc e Parisiensi schola prodiere. Tales Joanni Sarisberiensi informari placuerat. Narrat enim ille in *Metalogico* (II, 10), sibi post emensum totum suorum studiorum, quod ibidem exponit, curriculum, jucundum visum fuisse veteres, quos reliquerat, et quos adhuc dialectica retinebat, in Monte revisere socios, « ut nostrum invicem, inquit, commetiremur profectum. » Eos porro inventos esse qui fuissent; profecisse in uno duntaxat: dedicisse enim modum, modestiæque adeo nescios factos esse, «ut de reparatione eorum posset desperari». Neque hoc tantum vitio vertebat dialecticis, quod tempus terebant, dum iisdem urgebant et urgebantur stimulis, sed quod dialecticus, ut in alio loco legimus,

Laudat Aristotelem solum, spernit Ciceronem,
Et quidquid Latiis Græcia capta dedit.

(*De dogmate philosophorum*, v. 110.)

Noster vero Alexander, quantum logicis theologisve favit, tantum antiquæ sapientiæ doctoribus; quod et Petro Blesensi, Joannis discipulo, familiare fuit.

Inclaruit autem magis Petrus quam Alexander, quod pro sua in eum benevolentia rex Anglorum Henricus II, cujus partes fideliter, non serviliter, sequutus erat, eum rogavit ut Epistolas, « quas passim et variis direxerat personis, » ut ipse in prima ait, colligeret, collectasque publici juris faceret. Quæ si in oblivionem decidissent, non ille Alexandro ceteris suis opusculis illustrior factus esset. Nam si par fuit in Petro et in Alexandro cum sacrarum, tum secularium literarum eruditio, non tam immoderatus usus fuit in Alexandro quam in Blesensi, aut in Helinando, aut in aliis hujus ævi scriptoribus. Non Alexander, de Ascensione Domini loquens, ex Horatio, Quintiliano, Sallustio, Statio, Terentio, Cicerone, Juvenali, Virgilio, Ovidio et Lucano, orationis ornamenta cum Helinando petiisset; neque verbis adeo libenter ludebat, ut cum Blesensi scriberet se « licet amare, tamen ex amore » sic loqui (Ep. XXXIII); parum esse « renuntiavisse divitiis, nisi renuntietur et vitiis » (Ep. CXXXVII), et alia ejusmodi. Cum enim nullas mortalium laudes venaretur, nunquam ea quæ depravatis judiciis placerent, persequutus est.

Quod si justo minus exteris posterisque innotuit, apud suos certe, ut non desiit ante vel post mortem celebrari, sic etiam aliquamdiu morum suorum artiumque heredes, quibus imitationi esset, habuit; quo quid potuit optatius ei evenire ?

Qui enim primi successores ejus fuerunt, iidemque

discipuli, simul colendam virtutem, exercenda studia, ditandamque bibliothecam curaverunt; ita ut inter tam multa in Northmannia religiosorum virorum hospitia, Gemmeticense, cum esset præcipue quædam theologorum schola, nulli tamen vel in literarum cultura cederet. Quæ quidem tunc in illis *cœnobiis* nullibi non colebantur, præsertim postquam devicta a Northmannis Italia Lanfrancos Anselmosque, literarum regnatores, immiserat, et capta (si parva licet componere magnis), ferum ceperat victorem.

APPENDIX I. (Vid. supra p. 47.)

Quid sit accentus et unde dicatur.

ACCENTUS est mora transitus de una vocali ad aliam vocalem in pronuntiatione significata; vel modulatio vocis in vulgari pronuntiatione; quod satis idem est.

In pronuntiatione significata ideo dicimus, quia est pronuntiatio metrica ut in scansione versuum, et ejus mora sive modulatio dicitur tempus. Et est pronuntiatio melica in cantu, et ejus mora sive modulatio dicitur neuma. Et est pronuntiatio significata, qua utimur in lectione Epistolę vel Evangelii, et ejus mora dicitur accentus.

Et dicitur accentus quasi *accantus*, eo quod uni sillabę accantuntur alię, id est, cantum et modulationem unius cetere sequi coguntur. Ut hic : *dóminus.*

Et sciendum est quod omnis sillaba suo profertur accentu; dictio tamen non in uno regitur accentu. Regitur autem omnis latina polisillaba accentu penultime vel antepenultime sillabe. Exceptis paucis quę acuuntur in fine, ut postea dicetur.

Species accentuum tres.

ACCENTUUM tres sunt species. Quandoque enim in proferendo incipimus a gravi et tendimus in acutum, et ibi terminamus, et dicitur *acutus accentus.* Quandoque incipimus ab acuto, et quasi vocem comprimentes in gravi terminamus, et tunc dicitur *gravis accentus.* Quandoque, a gravi in acutum tendentes, revertimur ad grave, et dicitur *circumflexus accentus.* Semper autem, cum una sillaba acuitur vel circumflectitur in aliqua dictione, cetere omnes gravantur. Ut hic : *dómínùs.* Vel hic : *Rômà*, in nominativo.

Regulę accentuum novem sunt.

I. Prima de monosillabis hec est. Si dictio monosillaba habuerit vocalem naturaliter brevem, ipsa acuetur, ut *páx !* adverbium comicum, et *fáx*, unde fácis.

II. Si dictio monosillaba habuerit vocalem naturaliter longam, ipsa circumflectetur, ut *dôs*, *rôs.*

III. In dissillabis, si utraque fuerit brevis, vel utraque fuerit longa, vel prior brevis et posterior longa, prior acuetur. Utraque brevis, ut *ára* (1) porcorum, in nominativo ; utraque longa, ut *Róma* in ablativo ; prior brevis et posterior longa, ut *bóves.* — Excipiuntur apocopate dictiones, quę de trisillabis factę sunt dissillabe : ut *fumát* Neptunia Troja, pro fumavit ; *audít* pro audivit. Quarum talis est regula :

Regula corruptarum : In apocopatis et simcopatis (2) dictionibus, si remanserit vocalis supra quam erat accentus in integra, supra eandem erit in corrupta : ut *fumát* pro fumávit ; *nórit* pro nóverit. Ideo dicimus si remanserit, quia in quibus non remanet, non servatur hec regula, ut in *amásse* pro amavísse.

IV. In dissillabis si prior fuerit longa et posterior brevis, prior circumflecțetur, ut *Rôma* in nominativo. Excipiuntur quę causa differentie in finem transferunt accentum ; ut *circúm ; poné* subit coniunx ; *eó ; illó ;* ne putentur pronomina, cum sint adverbia. Sed non ubique servatur hec exceptionis ratio, quia *sine*, prepositio, non transfert accentum, quamvis possit videri verbum ; forte ideo, ne contrarium sit regule prepositionum quę preposite casualibus gravari debent omnibus sillabis.

V. In trisillabis et deinceps, si penultima fuerit brevis, antepenultima acuetur, ut *Servílius*, *Virgílius.* Excipiuntur vocativi a nominativis desinentibus in *ius*, qui per apocopam proferuntur : ut *Virgíli*, pro *Virgílie : Laurénti*, pro *Laurént ie ; Vincénti*, pro *Vincéntie ; Júli*, pro *Júlie.* Secundo excipiuntur composita a *tepére*, et *madére*, et *calére*, et *fío*, et *fácio. Fio* enim et *facio* etiam in compositione suos servant accentus. Unde contra regulam dicitur : *tepefío, calefío; tepefís, tepefít ; calefís, calefít ; madefís, madefít;* acuta ultima in secunda et tercia persona; *tepefácis, tepefácit ; madefácis, madefácit ; calefácis, calefácit :* acuta penultima, non antepenultima, quod exigeret regula. Tercio excipiuntur *utráque* et *pleráque*, quę acuunt penultimas propter cognationem quam habent ad masculina et neutra sua, *uterque* et *utrumque*, *plerusque* et *plerumque*, ne videantur nimium aliena esse ab illis, si etiam accentu discreparent. Nam secundum regulam, antepenultimas acuerent et dicerentur : *útraque*, *plêraque.* *Ítaque* vero cum sit una dictio, regulam servat.

1. Sic. (Pro Hara). — 2. Sic.

VI. In trisillabis et deinceps, si penultima fuerit naturaliter longa, et ultima similiter longa, penultima acuetur : Ut *Athéne ; Miscéne* (1).

VII. In trisillabis, si penultima fuerit naturaliter longa, et ultima brevis, penultima circumflectetur : Ut *perôsus*, *Cethêgus*.

Excipitur *délate* (?) quod acuit antepenultimam, ne putentur esse due dictiones.

VIII. In trisillabis, si penultima habuerit vocalem positione productam, quantacumque sit ultima, ipsa penultima acuetur, et antepenultima multum gravabitur : ut *Mètéllus ; Màrcéllus.* Excipiuntur composita ab adverbiis et prepositionibus, quę transferunt accentum ad antepenultimam, ne putentur habere prepositiones per appositionem et esse due dictiones. Ut composita ab adverbio *inde : déinde*, *déinceps*, *périnde*, *súbinde*, *éxinde.* Similiter a coniunctionibus composita : *néquando*, *síquando*, *délonge*, et *álonge. Alíquando* etiam antepenultimam acuit ne putetur esse *aliquanto.*

IX. Prepositiones per se prolate, ut quando pueri legunt Donatum et enumerant eas, finales acuunt sillabas. Preposite aliis dictionibus in oratione, gravantur omnibus sillabis ; ut *cìrcà domum*, *dè domo*, *ìn domo.* Quod si subponuntur, mutant accentum : Si monosillabe fuerint, accuuntur ; sin dissillable, acuunt penultimas, nisi differentia prohibeat. Ut *maria omnia circúm.* Hic enim *circum* non acuit penultimam, licet postponatur, sed finalem, ne accusativus nominis esse putetur. Sed non hoc generaliter verum est. *Síne* enim prepositio acuit penultimam, licet differentia prohibere posset.

Ideo autem per se prolatę accuunt ultimas, ut significent se desiderare sua casualia, quia sine eis nichil significant. Unde quam cito ea recipiunt, gravatis omnibus sillabis, utpote habentes quod desiderabant (2).

Et sic profertur unaqueque earum preposita suo casuali, ut non suo sed eiusdem sui casualis accentu regatur, et quasi una cum illo dictio videatur. Unde non licet prepositiones acuere vel circumflectere, nisi postponantur, quia non per se significant.

Que et *ve*, et *ne*, quando ponitur pro *an*, subiunctivi ordinis

1. Mycenæ.

2. Nota quod prepositio *cum*, preposita pronominibus, encletici vice fungitur, ut hìc : *mécum*, *técum*, *sécum*, *nobísum*, *vobíscum*. *Háctenus* pro una dictione habetur, et ideo acuit antepenultimam, sicut *nullátenus.*

semper sunt, et vim faciunt omnibus quibus subponuntur, quia semper inclinant supra se accentum precedentis sillabe. Ut ibi : *Arma virúmque cano.* Omnis ergo dictio cui subponitur aliquid istorum, accentum transfert in finem, et ideo *encletica* (1), id est inclinativa dicuntur.

Dedúc, *addúc*, *indúc*, *indíc* et *predíc*, imperativa, per apocopam prolata sunt, ideo acuunt ultimas, quia integra eorum essent *deduce*, *induce*, *adduce*, *indice* et *predice.* Sed causa differentie etiam in simplicibus dicitur *dúc et díc.* Similiter *illíc*, *illúc*, *húc*, *adhúc*, acuunt ultimas, quia pro *illíccine*, *illúccine*, *húccine*, *adhúccine* ponuntur.

Regula barbarorum. Barbarȩ vero omnes dictiones, cum aput nos in sua remaneant forma, id est, terminatione, in fine accuuntur. Cum vero ad nostras transeunt formas, more nostro ad penultimas vel antepenultimas transferunt accentum. Ut : *Abrahám*, *Abrahámus ; Jacób*, *Jácobus ; Joséph*, *Jósephus*, vel *Josípus ; Rachél*, *Rachélis ; Davíd*, *Dávidis ; Jhesús* vel *Jhesú ; Cephás*, *Céphe ; Joná* vel *Johánna*, *Johánnes*, *Johânnis*, *Tubál*, *Sophál*, et *Naamán*, et similia. Secundum hoc, *Judá*, quando ponitur indeclinabile, ultimam debet acuere, non quando declinatur *Judás*, *Júde.*

Notandum etiam quod multa aput nos declinabilia ob hoc solum videntur habere accentum in fine, quod easdem terminationes aput barbaros, seu grecos, habent, quas apud nos in nominativis. Ut hec ipsa : *Cephás*, *Céphe ; Judás*, *Júde ; Thomás*, *Thóme.*

Barbara autem proprie dicuntur, quȩ non habent inflexiones casuum, cum tamen numeros habeant et genera. Qualia sunt omnia Hebrea vocabula. Inde est quod Gallica lingua barbara dici non potest, cum habeat varias terminationes casuum et articulorum.

Grece etiam dictiones plereque, latinam assumentes formam, accentum quoque more latino ad penultimam transferunt, quem in sua manentes forma retinent in ultima. Ut cum grece dicitur *anagogé*, latine *anagóga.*

Genitivus grecus in *eós* desinens penultimam brevem habet, ut *Théseos*, *Achílleos ;* et similiter in *ídos*, ut *Thebáidos*, *Enéidos.* Eadem tamen penultima producitur aput nos in mobilibus, ut *Achilléus*, *Ulixéus.*

1. Sic.

APPENDIX II.

BREVIS index Gemmeticensium librorum manu scriptorum, quos recensuit Bernardus de Montfaucon [1], nunc autem servat, paucis exceptis Rotomagensis bibliotheca.

A. Biblia [2].

1. (Nunc A 6.) Biblia Veteris et Novi Testamenti, exceptis Psalmis. — (Cf. Omont, n° 8.) seculo XI.

2. (Nunc A 69.) Biblia integra. (Omont, 11.) sec. XIII.

3. (Nunc A 75.) Concordantiæ Bibliorum. (Omont, 111.) sec. XIV.

4. (Nunc A 117.) Epistolæ sancti Pauli, Libri Genesis, Exodi, Levitici, Actus Apostolorum, Apocalypsis. (Omont, 22.) sec. XII.

5. (Nunc A 121.) Libri Job, Judith, Esther, Machabæorum, Ezechielis, Danielis, Isaiæ. (Omont, 23.) sec. XII.

6. (Nunc A 21.) Liber Evangeliorum, tabulis olim tectus auro [3], argento et gemmis ornatis, ex dono Rainaldi, Abbendonensis in Anglia Abbatis. (Omont, 32.) sec. XI.

7. (Nunc A 223.) Biblia integra, Psalmis [4] exceptis. (Omont, 9.) sec. XIII.

---

1. Vetustior quidam illo *Catalogo*, quem anno 1739 Montfaucon edidit (*Bibliotheca bibliothecarum manu scriptarum nova*, p. 1204-1217), alius exstat a Dom. Mauro Benetot, anno 1656, digestus. At hic nullum librum habet qui non sit apud Montfaucon, immo caret nonnullis. (Vid. Biblioth. Nat. Supplément grec, 1075.)

2. Quem nos Indicem secundum ordinem Gemmeticensem breviter ordinamus, hunc susceperamus fusiore explanatione illustrandum. Sed postquam ingens jam prodiit opus : *Catalogue général des manuscrits des bibliothèques publiques de France, Départements*), ubi tomo I° a Rotomagensibus libris, utpote qui plurimi essent, incepit doctus vir H. Omont (1886), hoc expedire duximus, ut omissis nonnullis quæ de nostro allaturi eramus, ad illos numeros illius generalis catalogi (*Catalogue général*, etc.) qui de Gemmeticensibus codicibus agerent, lectorem remitteremus.

3. Vid. sup. p. 12, ubi ad verbum retulimus libri inscriptionem. Cum autem obierit Rainaldus anno 1097, liber egregius ab eo datus, non XIIi, ut ait H. Omont, sed XIi est seculi. (Cf. *Hist. de Jumièges*, I, 210.)

4. Adest ipso voluminis initio Prologus in Psalterium, cum hac admonitione ad scriptorem : « Hebraycum Psalterium scribatur in interiori columpna, nostrum in exteriori, propter glosas et concordantiam Romani fiant diversitates in margine. » — Psalterium autem deest.

8. (Nunc A 239.) Concordantiæ Bibliorum. (Omont, 109.) (1). sec. XIII.

9. (Nunc A 207.) Bibliæ pars prima a libro Genesis ad Job inclusive (2). (Omont, 21.) sec. XIII.

10. (Nunc A 311.) Bibliæ pars prima a libro Genesis ad Prophetiam Isaiæ inclusive. (Omont, 13.) sec. XIII.

11. (Nunc A 311.) Bibliæ pars secunda ab Ezechiele ad finem (3). (Omont, 14.) sec. XIII.

12. (Nunc A 292.) Libri Sapientiales, excepto Ecclesiastico. — Excerpta ex Beda, Isidoro, Hygino, etc. — Sancti Augustini Enchiridion ad Laurentium. Multa de computo, cum soluta oratione, tum metrice (4)... (Omont, 26.) sec IX.

13. (Nunc A 377.) Concordantiæ (5) Bibliorum. (Omont, 110.) sec. XIII

14. (Nunc A 430.) Clementis Lanthoniensis Concordia quatuor Evangelistarum. (Omont, 138.) — Cf. B 52. sec. XIII.

15. (Nunc A 44.) Psalterium, cum Canticis et hymnis, egregie scriptum. Ex Anglia (6). (Omont, 231.) sec. XI (sub initio.)

16. (Nunc A 492.) Petri de Riga Aurora, seu Biblia metro reddita (7). (Omont, 183.) sec XIII.

1. F. 266. « Hic est de numero librorum, quos magister Walterus Cloel, presbiter Rubei-monasterii, contulit monasterio Gemmeticensi... qui Walterus obiit apud Gemmeticum Kal. Januarii, anno Dñi MCCXLIX, sepultus in ecclesia beate Marie. »

2. Collatum fuisse hoc exemplar cum quodam alio vel quibusdam aliis, ex pluribus quæ adsunt adnotationibus colligi potest.

3. Ad calcem hujus posterioris voluminis hanc legimus subscriptionem :

Explicit iste liber, sit scriptor crimine liber,
Hic liber est scriptus, qui scripsit sit benedictus.
Nomen scriptoris Villermus, mil[es] amoris.

H. Omont legendum esse suspicatus est : *nullius amoris*, quamvis sic claudicat versus. Et sane post hæc librarius indocte addit :

De Domino *gratiam* inveniatque suam.

4. Vid. plura apud Omont, loco citato. Adde hos versus, inter alios appositos imagini Christi crucifixi :

Dulcis amice, vides, pro te quos porto dolores.
Hic pro te fixus, toto sum corpore tensus... (f. 48.)

5. F. 234 : ... « Quem procuravit scribi frater Willelmus de Rothomago tempore prioratus sui ; » id est ante annum 1239. (*Hist. de Jumièges*, I, 374.) Postea Abbas factus est (1247). Hic fuit e discipulis Alexandri.

6. Cf. Sauvage, *Note sur les manuscrits Anglo-Saxons, et les manuscrits de Jumièges, conservés à la Bibliothèque de Rouen*, p. 9. — (Havre, 1883.)

7. Sine additamentis seu potius corruptionibus Ægidii Parisiensis.

B. Bibliorum interpretes.

1. (Nunc A 65.) Glossa ordinaria Strabi Fuldensis in Pentateuchum; (cujus etiam sunt sequentes. Montfaucon). (Omont, 34.) sec. XIII.

2. (Nunc A 46.) In secundam Bibliæ partem. (Omont, 49, 50.) [1]. sec. XIII.

3. (Nunc A 62.) In Job, Psalmos (Petrus Lombardus), Acta Apostolorum, septem Epistolas canonicas, et Apocalypsim. (Omont, 54.) sec. XIII.

4. (Nunc A 57.) In libros sapientiales. (Omont, 58.) sec. XIII.

5. (Nunc A 64.) In quatuor Evangelia. (Omont, 83.) sec. XIII.

6. (Nunc A 55.) In Genesim et Exodum. (Omont, 37.) sec. XIII.

7. (Nunc A 50.) In Leviticum, Numeros et Deuteronomium. (Omont 43.) sec. XIII.

8. (Nunc A 58.) In librum Josue, Judicum, Ruth, Esdræ, Tobiæ, Judith, Esther et Machabæorum. (Omont, 48.) sec. XIII.

9. (Nunc A 56.) In librum Regum et Paralipomenon. (Omont, 52.) sec. XIII.

10. (Nunc A 52.) In Isaiam et Jeremiam [2]. (Omont, 69.) sec. XIII.

11. (Nunc A 60.) In Isaiam et Jeremiam. (Omont, 70.) sec. XIII.

12. (Nunc deest.) In Ezechielem.

13. (Nunc A 82.) In Genesim et Exodum [3]. (Omont, 38.) sec. XIII.

14. (Nunc A 81.) In Leviticum, Numeros, Deuteronomium. (Omont, 44.) sec. XIII.

15. (Nunc A 90.) In IV Libros Regum. (Omont, 51.) sec. XIII.

16. (Nunc A 189.) In libros Paralipomenon [4], Esdræ et Job. (Omont, 53.) sec XIII.

---

1. F. 347 secundi voluminis : « Quem comparavit frater Ric[ardus] de Lislebona, Prior Gemmeticensis, tempore prioratus sui. Postea Abbas sancti Georgii. »

2. F. 234 : « Gilbertus. Sufficiant hec ad expositionem Lamentationum Jeremie, que de Patrum fontibus hausi ego Gilbertus Antissiodorensis ecclesie diachonus. »

3. F. 190 : « Hic est de libris quos magister Symon de Sancto Petro super Divam contulit ecclesie Gemmeticensi... »

4. F. 273 : « Hunc librum comparavit dumnus Willermus Cog..... tempore Prioratus sui. Qui legeris, intercede pro anima ejus. »

17. (Nunc A 78.) In Job [1]. (Omont, 47.) sec. XIII.
18. (Nunc deest.) In Job, scriptus [2] ante a. 1249. (Montfaucon.)
19. (Nunc A 61.) In Psalmos [3]. (Petrus Lombardus.) (Omont, 120.) sec. XIII.
20. (Nunc A 70.) Idem. (Omont, 121.) sec. XIII.
21. (Nunc A 106.) Idem. (Omont, 123.) sec XIII.
22. (Nunc A 77.) Idem. (Omont, 122.) sec. XIII.
23. (Nunc A 141.) Idem [4]. (Omont, 124.) sec. XIII.
{24. (Nunc A 171.) Idem in duo volumina. (Omont, 125.) sec. XIII.
{25. (Nunc A 171.) sec. XIII.
26. (Nunc A 216.) Idem. (Omont, 126.) sec. XIII.
27. (Nunc 107.) In Libros Sapientiales. (Idem.) (Omont, 59.) sec. XIII.
28. (Nunc A 149.) Parabolæ Salomonis... cum eodem Commentario. Allatus est ab Alexandro [5] a. 1171. (Omont, 60.) sec. XII.
29. (Nunc A 162.) In Libros Sapientiales [6]. (Idem.) (Omont, 61.) sec XIII.
30. (Nunc A 201.) In libros Sapientiales. (Idem.) (Omont, 62.) sec. XIII.
31. (Nunc A 86.) In Isaiam et Jeremiam [7]. (Omont, 71.) sec. XIII.
32. (Nunc A 109.) In Ezechielem, Danielem, et Minores [8] Prophetas. (Omont, 78.) sec. XIII.
33. (Nunc A 101.) In Isaiam. (Omont, 66.) sec. XIII.
34. (Nunc A 179.) In Jeremiam [9]. (Omont, 73.) sec. XIII.

1. F. 80 : « Hoc volumen est de numero librorum quos frater Willelmus de Rothomago adquisivit ecclesie Gemmeticensi, tempore Prioratus sui... » — (Guillaume de Fors, ex discipulis Alexandri ; Prior sub Willelmo de Resenchun usque ad a. 1239 : postea Abbas, anno 1247. (*Vid. Hist. de Jumièges*, I, 374.)

2. Datus a Waltero Cloel. (Vid. *Hist. de Jumièges*, I, 376.)

3. Datus a Waltero Cloel. (Vid. f. 235 et ultimum. — Cf. A 8.)

4. Initio voluminis adest *Calendarium*, ubi multi ex Anglia sancti inscribuntur : SS. Patritius, Cuthbertus, Guthlacus, Birinus, Augustinus, Eadmundus, etc. — Cf. Letanias, in A 15. — Singulis mensibus præfixus est versus :
Prima dies mensis et septima truncat ut ensis (Januarius.) etc.

5. F. 184 : « Hic est de libris quos magister Alexander contulit ecclesie Gemmeticensi... » Non est igitur XIII[i] seculi, ut vult H. Omont, sed XII[i].

6. Ex libris Walteri Cloel. (Cf. A 8.) v. f. 197.

7. Ex libris Walteri Cloel. (Cf. A 8.) — Vid. f. 210.

8. Ex libris Walteri Cloel. (Cf. A 8.) — Vid. f. 231.

9. F. 122 : « Hoc volumen est de numero librorum quos frater Willelmus de Rothomago adquisivit ecclesie Gemmeticensi, tempore Prioratus sui. » (Ex discipulis Alexandri. Cf. B 17, A 13, etc.)

35. (Nunc A 208.) In XII Minores [1] Prophetas. Fragmenta expositionis Epistolæ ad Galatas (f. 1-9), et sancti Joannis Chrysostomi (latine). (f. 215, 216.) sec. XI.

—Sancti Augustini Confessionum libri XIII. (f. 129.) (Omont, 82.) sec. XII.

36. (Nunc A 80.) In quatuor Evangelia [2]. (Omont, 84.) sec. XIII.

37. (Nunc A 163.) In Matthæum. (Omont, 85.) sec. XIII.

38. (Nunc A 144.) In Matthæum et Marcum. (Omont, 91.) sec XIII.

39. (Nunc A 170.) In Lucam et Joannem, (Omont, 96.) sec. XIII.

40. (Nunc A 151.) In Matthæum et Marcum (Omont, 92.) sec. XIII.

41. (Nunc A 168.) In Lucam et Joannem [3]. (Omont, 95.) sec. XIII.

42. (Nunc A 130.) In Actus Apostolorum, Septem Epistolas Canonicas, et Apocalypsim [4]. (Omont, 99.) sec. XIII.

43. (Nunc A 59.) In Epistolas Sti Pauli. (Petrus Lombardus.) (Omont 153.) sec. XIII.

44. (Nunc A 66.) Idem. (Omont 154.) sec. XIII.

45. (Nunc A 97.) Idem [5]. (Omont, 156.) sec. XIII.

46. (Nunc A 129.) Idem. (Omont, 152.) sec. XIII.

47. (Nunc A 84.) Sti Augustini, seu potius Flori Lugdunensis diaconi ex Sto Augustino, expositio in Epistolam ad Romanos et Iam ad Corinthios. (Omont, 530.) — (Idem opus Bedæ tribuitur.) sec. XII.

48. (Nunc A 98.) Idem in ceteras Sti Pauli Epistolas; ab initio mutilus. (Omont, 531.) sec. XII.

49. (Nunc A 153.) Haimo Halberstatensis in Isaiam. Eadem quæ edita est Parisiis a. 1531, si sententias et sensum spectes; si verba et stylum, prorsus alia. (Montfaucon.) — (Omont, 135.) sec. XII.

50. (Nunc A 94.) Idem in Stum Paulum. (Omont, 150.) sec. XII.

1. Hic Codex videtur ex Anglia oriundus. Cf. ornatas literas cum A 6.

2. F. 230 : « Hunc comparavit frater Willelmus de Rothomago... » de quo supra.

3. Falso contendit Historicus Gemmeticensis scriptum sub Willelmo de Rothomago Abbate (I, 375, c). Ille de quo ibi agitur, habetur infra B 64.

4. Ex libris Walteri Cloel. — Vid. f. 169. — De quo alium errorem nota in *Historia Gemmeticensi*, I, 376, (b).

5. Ex libris Walteri Cloel. (Cf. A 8.) — Vid. f. 271.

51. (Nunc A 12.) Zachariæ Chrysopolitani Concordia evangelica, (in unum ex quatuor) (1). (Omont, 136.) sec. XII.

52. (Nunc A 17.)Clementis Lanthoniensis expositio in suam Concordiam evangelicam. (Omont, 137.) sec. XIII.

53. (Nunc A 244.) S. Paschasii Radberti expositionis in Matthæum libri V-VIII. (Omont. 141.) sec. XI (2).

54. (Nunc A 142.) Nicolai de Lyra Postillæ... (Omont, 117.) sec. XIV.

55. (Nunc A 152.) Ejusdem aliæ (in Salomonem, etc.). (Omont, 132.) sec. XIV.

56. (Nunc A 92.) Ejusdem aliæ (in Evangelia, etc.).(Omont, 139.) sec. XIV.

57. (Nunc A 147.) Ejusdem in S^tum^ Paulum, et Apocalypsim. (Omont, 159.) sec. XIV.

58. (Nunc A 232.) Adæ Britonis (seu potius Guillelmi) expositio super Prologis Bibliæ. (Omont. 176.) sec. XIV.

59. (Nunc A 236.) *Glossa* in Psalmos. (Omont, 55.) sec. XII.

60. (Nunc A 270.) In Libros sapientiales (3). (Omont, 64.) sec. XIII.

61. (Nunc A 258.) In Cantica canticorum, et in Joannem (4). (Omont, 65.) sec. XIII.

62. (Nunc A 204.) In Matthæum (5). — (f. 3-39) — Lotharii Diaconi (qui postea Innocentius III) libri tres de miseria humanæ conditionis (f. 39-49). — Alanus de Insulis : De modo concionandi (f. 49-67.) Sermones de Dominicis et festis (f. 67-133). — (Omont, 625.) sec. XIII.

63. (Nunc A 250.) In Joannem et Marcum. (Omont, 97.) sec. XIII.

64. (Nunc A 257.) Hugo cardinalis in Lucam (6). (Omont, 144.) sec. XIII.

---

1. Forsan ille liber est, quem allatum cum aliis ab Alexandro legimus. Vid. sup. p. 5 : « Unum ex quatuor evangeliis secundum scolasticam glosaturam. »

2. Sic H. Omont. Ego vero libens crediderim librum esse vetustiorem. Montfaucon illum IX° seculo assignat.

3. F. 175 : « Hunc librum dedit monasterio Gemmeticensi magister Symon de Fraguernun, rector theologie Parisiis... »

4. Ex libris Walteri Cloel. Vid. f. 67. (Cf. A 8.)

5. F. 1-3, Epistolæ, seu potius Epistolarum formulæ, in Anglia editæ.

6. F. 183 : « Hunc librum fecit scribi frater Ricardus de Lislebona... » Videtur ex *notula* f. 1. scriptus a fratre Reginaldo de Arvemare, anno 1245.

65. (Nunc deest.) Idem a capite 17 (Montfaucon). — Jam tunc mutilus.

66. (Nunc A 212.) In Actus Apostolorum (Commentarius Walteri de Resenchun [1], sub Alexandro Abbate editus, ante a. 1207). (Omont, 100.) sec. XIII.

67. (Nunc A 419.) Glossa in Exodum. (Liber ab Alexandro [2] allatus anno 1171). — In fine, versus Marbodi. (Omont, 39.) sec. XII.

68. (Nunc A 431.) Psalterium et Cantica, cum glossa. (Omont, 57.) sec. XII.

69. (Nunc A 347.) (Omont, 56.) sec. XIII.

70. (Nunc A 385.) Isaias [3], cum glossa... (Liber allatus ab Alexandro anno 1171.) (Omont, 68.) sec. XII.

71. (Nunc A 373.) Hugonis a S^to^ Victore et S^ti^ Augustini opuscula. (Omont, 551.) [4]. sec. XIII.

72. (Nunc A 338.) XII Prophetæ Minores, cum glossa. (Liber allatus ab Alexandro [5], anno 1171.) (Omont, 81.) sec. XII.

73. (Nunc A 363.) Matthæus cum glossa. (Omont, 87.) sec. XIII.

74. (Nunc A 277.) SS. Bedæ et Hieronymi expositiones in Evangelia. SS. Basilii (seu potius Cæsarii Arelatensis), Augustini... opuscula. (Omont, 527.) sec. IX.

75. (Nunc A 405.) In Matthæum. (Omont, 88.) sec. XIII.

76. (Nunc A 392.) Matthæus cum glossa... (Liber allatus ab Alexandro [6], anno 1171.) (Omont, 89.) sec. XII.

77. (Nunc A 380.) Lucas cum glossa... (Liber allatus ab Alexandro [7], anno 1171.) (Omont, 93.) sec. XII.

78. (Nunc A 299.) Petrus Lombardus in S^tum^ Paulum. (Omont, 158.) sec. XIII.

---

1. F. 1, et 66 : « Hunc librum scribi fecit frater Walterus de Resenchun, tempore prioratus sui, (f. 66) qui legeris hunc titulum intercede pro anima ejus. » — « Qui legitis, mementote anime ejus in bonum.» (f. 1.) Cf. *Hist. de Jumièges*, I, 310, ubi aperte dicitur Walterum esse auctorem hujus libri.

2. F. 1. « Hic est de libris quos magister Alexander contulit ecclesie Gemmeticensi. Qui eum celaverit... »

3. F. 99 : « Hic est de libris quos magister Alexander... » (Sunt ambo igitur XII sec. non XIII ut vult H. Omont.)

4. Alia periere, quorum mentio habetur f° 2 ; in quibus præcipua erat chronica venerandi Hugonis Parisiensis.

5. F. 126 : « Hic est de libris quos magister Alexander contulit... »

6. F. 115 : « Hic est de libris quos magister Alexander contulit... »

7. F. 1 : « Hic est de libris quos magister Alexander contulit... »

79. (Nunc A 320.) Pauli epistolæ cum prologis... (Omont, 33.) sec. IX.

80. (Nunc A 437.) Adnotationes Bedæ presbyteri in Epistolas S[ti] Pauli. (Genuinum est Bedæ opus, nondum typis mandatum. Montfaucon.) — (Omont, 147.) sec. IX.

81. (Nunc A 353.) [Berengaudi] expositio in Apocalypsim. Alcuini expositio in Cantica Canticorum. (Omont, 160.) sec. XII.

82. (Nunc A 429.) Glossa in Apocalypsim. (Omont, 108.) sec. XIII.

83. (Nunc A 534.) Glossa in VII Epistolas canonicas. In Matthæum. Fragmentum de Sacramentis. S[ti] Bernardi Epistolæ V (143, 131, 136, 188, 129). De divinis officiis. De fide catholica. De interpretatione divinæ scripturæ. (Omont, 107.) sec. XII (1).

84. (Nunc A 487.) Petri Comestoris Allegorie in Vetus et in Norum Testamentum. (Omont, 112.) sec. XIII.

C. Patres.

1. (Nunc A 7.) S[ti] Hieronymi (2) Epistolæ 121. (Omont, 441.) sec. XII.

2. (Nunc A 88.) Ejusdem expositio in Osee, Joel, Amos, Abdiam, Jonam, Michæam et Nahum. (Textus prophetarum duplex ; secundum LXX, et secundum hebraicam veritatem.) (Omont, 446.) Subscriptio (3). sec. XII.

1. Hunc etiam suspicor allatum esse ab Alexandro : sed non certo constat. Hos autem omnes XIII seculo H. Omont assignat ; forsan ideo quod Alexander obiit anno 1213.

2. F. 177 et ultimo : « Contigit autem miraculum in monasterio S[ti] Hieronymi fieri. Quadam namque die ingens leo cenobii claustra ingressus est claudicans quarto pede, etc. » — (Cf. *Vitam S[ti] Gerasimi monachi*, apud Bollandum. — F. 177, v°, Epistola Petosiris Nechepso. (Bedæ tribuitur). Tabula græcarum litterarum ad numerandum, in forma circuli, cum cruce media, disposita. — Libens hunc Codicem XI° seculo, quem H. Omont XII°, assignarem.

3. F. 148, librarius his versibus nomen suum significat :

*H*ic duodenorum pars incipit ordine Vatum,
*I*n qua Jeronimus legis translator opimus,
*L*audans virtutes, componens denique mores,
*D*igna refert justis necnon metuenda superbis.
*V*ir fuit ipse pius cunctis probitate colendus,
*J*ESUS sumpsit eum dignum rite ministrum,
*N*ec potuit zabuli stimulis unquam superari.
*V*ir felix, de quo viget æcclesiasticus ordo,
*S*it tibi laus vere scrutator philosophie,
Qui cupis esse scius qui scriptor codicis hujus,
Predicto primas in carmine cerne figuras.

3. (Nunc A 74.) Sti Hieronymi opuscula. (Omont, Initio (f. 1-39) habentur Petri Venerabilis de miraculis sui temporis libri II. sec. XI. — sec. XII.

4. (Nunc A 343.) SS. Hieronymi, Bedæ et Augustini opuscula. (Omont, 449.) sec. XII.

5. (Nunc deest.) S. Hieronymus in Ezechielem.

6. (Nunc A 294.) S. Hieronymus in Matthæum. Ejusdem et Gennadii libri de Viris illustribus. (Omont, 447.) sec. XII.

7. (Nunc A 344.) S. Hieronymi opuscula. (Omont, 450.) sec. XII.

8. (Nunc A 103.) Origenis, SS. Ephræmi, Basilii, Cæsarii, Augustini, Gregorii et anonymorum opuscula. (Omont, 488.) sec. XII.

9. (Nunc A 127.) Origenis (latine) tractatus in Vetus Testamentum. (Omont, 421.) sec. XII.

10. (Nunc A 240.) Origenis in Evangelium Matthæi, interpretatio latina vetus. (Omont, 423.) sec. X.

11. (Nunc deest.) 10 apud Montfaucon : idem ac 9, sed in papyro.

12. (Nunc A 298.) Sti Chrysostomi homiliæ et opuscula, latine. (Omont, 440.) sec. XII.

13. (Nunc A 172.) Sti Ambrosii opera. (Omont, 432.) sec. XII.

14. (Nunc A 128.) Sti Ambrosii libri IX. (Omont, 431.) sec. XII.

15. (Nunc A 195.) Sti Ambrosii (seu potius Petri Lombardi) commentarius in omnes Sti Pauli Epistolas. (Omont, 151.) sec. XII.

16. (Nunc A 268.) Stus Ambrosius in Psalmum CXVIII; ejusdem opuscula. Yvonis Carnotensis Epistolæ. (Omont, 435.) sec. XII. — sec. XIII.

17. (Nunc A 322.) S. Ambrosius in Lucam. (Omont, 438.) sec. XII.

18. (Nunc A 346.) S. Ambrosii opera. S. Augustini Retractationum libri duo. — Glossarii latini fragmentum ab A ad M. (Omont, 428.) sec. XII.

19. (Nunc A 404.) SS. Ambrosii et Anselmi opuscula, (Ambrosius : De officiis. — De virginibus... Anselmus : De concordia præscientiæ et prædestinationis et gratiæ Dei cum libero arbitrio. — Cur Deus homo ?) (Omont, 434.) sec. XII.

20. (Nunc O 12.) S. Augustini Epistolæ CXXXIII, et in fine IX aliæ, quæ exstant in impressis (Montf.) — Epistola Calixti papæ ad Galliarum episcopos. — Epistola Gregorii papæ ad Secundinum. (Omont, 485.) sec. XI.

21. (Nunc A 137.) S. Augustini opuscula. (Omont, 476.) sec. XII.

22. (Nunc A 159.) S. Augustini opuscula alia.— Epistola Prosperi ad Augustinum. — Epistola Hilarii ad Augustinum. (Omont, 475.) sec. XII.

23. (Nunc A 134.) Ejusdem de Civitate Dei libri XXII. (Omont, 483.) sec. XII.

24. (Nunc A 102.) Ejusdem in Psalmos Commentarius. (1-50.) (Omont, 458.) sec. XII.

25. (Nunc A 102.) Idem in Psalmos. (50-100.) (Omont, 459.) sec. XII.

26. (Nunc A 102.) Idem in Psalmos. (100-150.) (Omont, 460.) sec. XII.

27. (Nunc [1] A 91.) S. Augustini in Joannem Tractatus CXXIV. (Omont, 468.) sec. XII.

28. (Nunc A 215.) Ejusdem Sermones de Verbis Domini, et XXIV primi de Verbis Apostoli. — In fine fragmentum Concilii Lateranensis (1112). — Item Acta S. Longini militis. (Omont, 487.) sec. XI. / XII.

29. (Nunc A 225.) SS. Augustini et Ambrosii opuscula. — In fine aderant olim Boetii opuscula, quæ nunc absunt. (Omont, 474.) sec. XII.

30. (Nunc [2] A 255.) S. Augustini De Genesi ad litteram libri II. (Omont, 454.) sec. XII.

31. (Nunc A 281.) Ejusdem de Consensu Evangelistarum libri IV.

---

1. F. 241, apposita est *notula* de bonis « quæ non erant in dominio tempore domni Abbatis beatæ memoriæ Rotberti ». Historicus Gemmeticensis hunc putat esse Robertum d'Estelan (II, 10). — Sequitur formula unguenti « ad scabiosos » valde optimi.

2. Quamvis in fine hæc habetur suscriptio :

Hoc opus Aurelii glatiali tempore scripsi :
Quisquis eris, lector, ne dicas : ve tibi, scriptor.
Nam nocuit ventus, nix, grando, nebula, frigus ;

e pulcherrimis tamen est liber iste.

— De sermone Domini in monte libri II. — De decem plagis. (Omont, 466.) sec. XII.

32. (Nunc A 286.) S. Augustini opuscula — Juliani Toledani prognosticon futuri temporis. (Omont, 472.) sec. XI.

33. (Nunc A 376.) SS. Augustini et Ambrosii, opuscula. S. Anselmi de Grammatico Dialogus (f. 66). — Versus de quantitate verborum (f. 78). — S. Isidori Hispalensis Originum fragmenta (f. 83). — Boetius de Topicis differentiis (f. 94). — Prisciani de constructione libri II, (f. 126 v°) etc. (1) (Omont, 479.) sec. XII.

34. (Nunc A 79.) S. Gregorii Magni Homiliæ XL in Evangelia. — In fine Translatio S^ti^ Nicolai, cum cantu. (Omont, 514.) sec. XV.

35. (Nunc A 160.) Ejusdem Homiliæ in Ezechielem. — In fine literæ grecæ ad numerandum. (Omont, 512.) sec. XII.

36. (Nunc O 16.) Ejusdem Epistolæ. (Omont, 516.) sec. XI.

37. (Nunc A 205.) Ejusdem in Job libri VI-X, XXXII-XXXV. (Omont, 496.) sec. { IX. / X. }

38. (Nunc I 24.) Ejusdem operis libri XVII-XXII. (Omont, 497.) sec. { XI. / XII. }

39. (Nunc A 309.) Tabula super Moralia beati Gregorii papæ (2) in Job. (Omont, 499.) sec. XIV.

40. (Nunc A 278.) S. Gregorii Homiliæ XL in Evangelia. — Quinque sermones in S. Joannem Baptistam. (Omont, 513.) sec. XII.

41. (Nunc A 303.) Eædem in papyro. — Smaragdi diadema monachorum. (Omont, 515.) sec. XV.

42. (Nunc A 324.) Ejusdem Dialogorum libri IV. (Omont, 509.) sec. XIII

43. (Nunc A 337.) Idem opus toto primo libro et XII capitibus secundi libri mutilum. (Omont, 506.) sec. X

44. (Nunc (3) A 348.) Ejusdem liber Pastoralis curæ. — Ejusdem

1. Ad calcem voluminis sunt decem versus malevoli poetæ :

Jam jam cis Alpes premasticabat ad aurum
Gallorum Rome non saturanda fames, etc.

cum atrocibus contumeliis in Gelasium et Honorium.

2. F. 1. « Nota quod prescripta tabula super moralia beati Gregorii super Job faciliter et expedite invenire docet quidquam in ipsis utile fuerit in quacunque materia circa quam vel de qua predicator aliquis loqui desiderat. »

3. F. 1-3, additi sunt seculo sequenti « Septem Psalmi P[ænitentiales] Petrarche « Heu mihi misero, quia iratum adversum me constitui Redemptorem... »

